Rozprawy
do panowania Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynowsk. za 5 złk.

Carolus Gustavus 17 *r)* S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 *s)* Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

Paulli Jacob Henrick 19 *t)* Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 *u)* Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

Frischmann Johann 21 *v)* Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 *y)* S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

Frischmann Johann 23. *z)* Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 *aa)* Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 *bb)* Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 *cc)* Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

Frischmann Johann 27 *dd)* Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 *ee)* Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29. *ff)* Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30, *gg)* Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

Rapp Christoph 31 *hh)* Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 *ii)* Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

Frischmann Johann 33 *kk)* Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 *ll)* Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam oblata Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39. *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes orbis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1651. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallo juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. **P ę k a l s k i** Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epi... Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. **P e t e r e k** Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, prz... J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl. ...) br. —

1775. **P e t r i c i u s** Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)

b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162... 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. **P i a s e c k i** Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str. ...) br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracovia... 1635. 4to. (k. n. 8) br. — 5...

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casell. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cussini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7. g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischmann Johann 8. h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9. i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10. k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11. l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12. m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15. p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

OMNIBVS EPISCOPIS, PRESBYTERIS, ET Vniversis filiis Ecclesiæ,

IOANNES FRANCISCVS PAVLVS DE GONDI,

Cardinalis de Retz, Archiepiscopus Parisiensis.

TAm indignis & inauditis injuriis, Illustrissimi Domini & Collegæ, in mea calamitate multis jam annis Ecclesia vexatur, vix ut fieri posse putem, quin ubicumque Christi ministri sunt, quibus Christi gloria & Christi sponsæ libertas studio est, illarum fama pervaserit. Sed tamen impositæ mihi divinitùs personæ esse duxi earum ad vos seriem meâ quoque voce perferre, & illatas toti sacerdotali, ut loquuntur Patres, Collegio contumelias apud omnes Catholicæ communionis Episcopos conqueri.

Oppressus enim secularis potestatis violentiâ, magni & simili penè violentiâ oppressi Episcopi exemplum mihi statui referendum, qui ex ipsis vinculis, in quæ præter Episcoporum jura conjectus fuerat, questus suos per omnes oras voluit exaudiri, ubi Christi Pontifices & Ecclesiæ filij essent, qui malis ipsius tangi, & Ecclesiæ vulneribus preces certè ac lacrymas dare possent. Is est Hildebertus primum Cœnomanensis, post Turonensis Episcopus, qui litteris in carcere scriptis hunc titulum inscripsit. *Omnibus Episcopis, Presbyteris, & universis filiis Ecclesiæ;* easque his verbis orditur, quibus nostrarum quoque litterarum consilium commodissimè vobis exponam. *Ad vos conversio mea, carissimi fratres mei, consacerdotes mei, Domini & amici mei, oro vos orare pro me; curam agere de me, compassione esse juxta me; nam de redemptione nihil ago.*

Ego verò nihil amplius postulo quàm sanctus ille Præsul cujus verbis usus sum; nec ut ab his tandem liberer malis, ulli molestas preces adhibebo. Videant Collegæ nostri & coram Deo conscientia teste considerent, quid ab ipsis in communi causa ratio communis officii postulet: mihi certum est Ecclesiæ meæ vulneribus ea demùm parare remedia, quæ mihi divinum lumen ostenderit.

Atque hâc etiam præter alias ratione permotus ad universos potiùs Catholicæ Ecclesiæ, quàm ad solos Gallicanæ Præsules scribere constitui, quominus nominatim populares meos compellarem tristibus experimentis deterritus. Quid enim profuit variis ad ipsos epistolis querelas meas detulisse? quid toties eos Canonicarum sanctionum admonuisse, quibus jubentur Episcopi ad dignitatem suam defendendam studia vocesque conjungere, nisi ut hinc in eos, qui Ecclesiæ libertati fortiter affuerant, inimicorum meorum

rum odia desævirent, illinc eorum, qui Ecclesiæ jura minus fortiter propugnarunt, infirmior animus clarius patesceret? Adde quod cum Episcopi Galliæ illatas Ecclesiæ nostræ injurias suis ipsi oculis inspexerint, nullum ipsis in re præsenti & conspicua novum potest lumen afferri, adeoque ipsos propria quadam compellatione ab aliorum societate divelli alienius, cum aliis vero in ejus scriptionis nuncupatione conjungi, quæ vota precesque ab omnibus communiter Fidelibus exposcit, aptius & opportunius fuit.

Quod si meo prorsus animo parere integrum fuisset, haud dubie questus meos ad eam præcipue Ecclesiam detulissem, quæ ceterarum omnium princeps, caput ac vertex, & nunc sub Alexandro Præside ingenti justitiæ gloria florens, nunquam potiori jure sacrum oppressorum Episcoporum asylum & refugium dici meruit. At quod verbis ipse coram toties egeram, quorsum id scriptis absens apud summum Pontificem iterarem? Cur rursus oculis optimi parentis cruenta Ecclesiæ meæ vulnera subjicerem, quæ pro eo, quo semper in omnibus Ecclesiæ negotiis flagrat ardore, nunquam ab ejus animo removentur. Quin illud in Petri Cathedram haud satis, saltem in speciem, reverentiæ & obsequii præ se ferre visum est, cum tot pro me officiis sua Sanctitas per Nuntios functa sit, ejus iterum pastorales curas, quas nunquam mihi benigne non impendit, precibus fatigare. Jam verò cum hæc epistola nihil aliud quàm nudam earum injuriarum expositionem contineat, quibus in mea causa Episcopatus sanctitas violata est, quinam illius Romæ usus ac fructus esse possit, cum in sacro Collegio nullus sit, qui non de funesto meæ Diœceseos statu à me ipso coram edoctus, ejus calamitatibus gravissime indoluerit? Postremo cum mihi id unum in his litteris propositum fuerit, ut omnium pro mea causa, quæ Dei ipsius causa est, preces excitarem, frustra id à Romana Ecclesia pietatis officium peterem, quo jam diu eo, quo nihil addi potest, fervore defungitur. Illa vero, utpote Christiani orbis communis parens, non meam modo, sed omnes Ecclesias sua sollicitudine complectitur, ac pro omnibus Christi Fidelibus divinam perpetuo opem implorat, in quos à Romana sede, quæ unicum ac certum Ecclesiasticæ unitatis centrum est, affixa Hierarchico ordini gratiæ dona largius nunquam uberiusque fluxerunt.

Et tamen, Illustrissimi Collegæ, eo ipso tempore, quo vos hac epistola compello, Sanctitatem suam accurate certiorem, ut par est, facio, quibus rationibus adductus, susceptum tamdiu silendi consilium omittam; sed id ita facio, ut ingentibus ejus occupationibus simul consulam; atque ita iis, quæ Sanctitati suæ tot nominibus debeo, defungor officiis, ut simul oneri esse caveam. Quod autem loquendi nunc consilium accipiam, & vocem meam ad Episcopos longissime dissitos & Ecclesias nostræ calamitatis minus gnaras perferam, fuit etiam ille vel gravissimus stimulus, quod sic quoque sacræ Petri Cathedræ traditioni pareo, quæ Innocentii ore in epistola quadam ad Archiepiscopum Galliæ scripta graviter edicit, ne Sponsæ meæ oppressioni silentio consentiam, quod ex maximi illius Pontificis mente potest, imo debet accipi pro consensu. Et huic quidem sancti Pontificis legi exceptionis loco esse posse arbitratus sum funestum illud bellum, quo tamdiu Europa inter se confligit; at illo optatissima pace dirempto, cur illi non paream nulla causa est: Nam cum illa populos tam diuturno & crudeli bello inter se collisos conciliet ac devinciat, multo magis Ecclesiasticæ communionis iter Episcopis aperit, quorum conjunctio ex æterno Christi, qui pax nostra est, sacerdotio repetita, nec principum discordiis dividi, nec politicis rationibus distrahi potest.

Utrumque autem efficit Pax, & ut mihi Ecclesiasticæ communionis officia exercere sine suspicione jam liceat, & ut diutius silere non liceat. Detrahit enim omnes illius silentii causas,

fas, in quo me jam triennium cum omnium stupore contineo, & loquendi necessitatem affert, ut Ecclesiæ causa, quam tantisper ob difficultates temporum in oblivionem venire passus sum, ex his tenebris emergat aliquando, nec in perpetuum sepulta jaceat.

Huic vero cunctationi meæ, quæ nimia per se videri potest, propterea vos, Illustrissimi Collegæ, ignoscere æquum est, quod non ad eam me infractio quædam animi sub malorum pondere fatiscentis adduxit, sed ardens ac sincerum in Regem meum studium, & constantissimæ adversus ipsum fidei meæ testificandæ voluntas vel supra quam à me jure exigi posset. Nil quidem justius quam de Ecclesiæ injuriis conqueri, nil religiosius quam Ecclesiæ jura persequi; sed tamen in illo bellorum tumultu, qui super exsuscitandis intestinis discordiis opportunus est, merito veritus sum, ne quod optima fide animoque fecissem, præter voluntatem meam manaret latius, & vel à quibusdam in turbandi occasionem traheretur, vel certe ab inimicis in calumniæ causam.

Potius ergo quam in illud me periculum demitterem, malui, ut Davidis vocibus utar, cum descendentibus in lacum æstimari, sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum Deus non est memor amplius: malui non solum durissimi exilii labores & acerbitates ferre, sed etiam insultantium mihi inimicorum triumphos, quibus interim patientia nostra ludibrio fuit, ingensque gloriandi materia, quasi infinitæ suæ potentiæ testis, & redactæ in servitutem Ecclesiæ monumentum. Nec aliud quicquam Deum à me toto illo tempore deposcere arbitratus sum, quam ut paterna ejus flagella demissus & humilis acciperem, arcana Divinæ in me providentiæ statuta venerarer, & coram ipsius Majestate eo animi habitu consisterem, quem à populo exigit Propheta, cum ait: *In silentio & spe erit fortitudo vestra.*

Nunc cum ea perpessi simus, quibus placari possit vel infensissima vindictæ cupiditas, cum nullam vel audacissimæ calumniæ ansam reliquerimus, cur turbidum nobis & quietis impatientem animum objiciat, cum impediendæ Pacis formidini plus tribuerimus, quam jure ab ullius vel religiosissima obedientia postularetur, æquum vobis, Illustrissimi Collegæ, profecto videbitur, ut transactis silendi causis & temporibus eum nunc animum ostendam, quo esse Archiepiscopum convenit, cujus dignitas & Ecclesia eo dejectionis oppressionisque redacta est, ut nihil unquam simile in Ecclesiæ pace, & sub Regum Christianissimo contigerit. Compositis bellorum turbinibus, discussis suspicionibus & odiis, nihil nec intra nec extra Galliam est quod ejus quietem sollicitet. Illi ipsi quos in adversas partes sua infelicitas egerat, tota Gallia plaudente & gratulante plenissimam à Regis clementia veniam impetrarunt. Nihil est ergo quod jam loqui vereatur Ecclesia ne seditiosa videatur, nihil est quod questus suos comprimat, quando nulli sunt hostes qui questibus ejus abuti possint. Moderationem illa suam & religiosam cautionem periculosis turbidisque temporibus probavit; nunc placidis atque tranquillis vigorem & firmitatem suam approbet necesse est.

Emersurus itaque, Illustrissimi Collegæ, ex illa, qua me sponte merseram, oblivionis nocte & voluntaria mortis imagine, ut quicquid mihi auctoritatis, luminis, virium Deus conferre dignabitur, ad oppressæ illius Ecclesiæ defensionem conferam, quid prius aut consultius facerem, quam ut vobis Ecclesiæ Patribus profunda ejus detegerem vulnera, & ejusmodi vulnera, quæ tot annorum decursu nihil mitigata sint, sed acerbius in dies recrudescant, & periculosius exulcerentur?

Mirum & indignum, Antistites Illustrissimi, quod oppressæ Ecclesiæ cumulus videri possit, id tantum initium esse nostræ calamitatis. Calcatis omnibus Ecclesiasticis legi-

bus, sine ulla judicii specie & præter omnes juris formulas, conjectus in carcerem Cardinalis & Archiepiscopus. Qui pro sui muneris officio privilegiorum Ecclesiæ acerrimi vindices esse debuerant, in iis violandis eam audaciam ostenderunt, cujus ab ipsis fortasse rationem Apostolica sedes aliquando reposcet. Nil illi vel infamiam veriti sunt, qua in Claromontano Concilio, cui Urbanus II præsens aderat, damnantur qui Episcopis vincula injecerint. *Si quis*, inquit, can. 32, *Episcopum ceperit vel incarceraverit, perpetuæ infamiæ subjaceat.* Nihil anathemata curaverunt, quibus iidem in antiquioribus etiam Conciliis percelluntur, ut in secundo Matisconensi, quod sanctissimæ legis gravissimam hanc rationem affert. *Nefas est enim*, inquit, Can. 9, *ut illius manibus aut jussione Episcopus de Ecclesia trahatur, pro quo semper Deum exorat, & cui invocato nomine Domini ad salvationem animæ corporisque Eucharistiam sæpe porrexit.*

Magna hæc Ecclesiasticæ libertatis & disciplinæ labes, compingi in carcerem Archiepiscopum vel sontem atque criminosum. At in ipso carcere sic acceptus sum, ut nec luculentius innocentia mea probari potuerit, neque adeo naturæ jura apertius infringi. Durissima per sesquiannum in custodia habitus sum, nec toto illo intercurrentis temporis spatio, ullo colore tam audax & exosa omnibus violentia prætexi potuit. Remissus Lugduno, & ad Aulam venire vetitus Avenionensis Archiepiscopus summi Pontificis Nuntius, & hac una de causa ad Regem à Sanctitate sua missus: nulla vinculorum meorum reddita in publicum ratio, quod à Christianissimis Regibus, quorum in justa Regni gubernatione præcipua laus, in ejusmodi caussis nunquam omitti solet, etiam si de iis tantum personis agatur, quæ seculari tribunali penitus subsunt.

Novum prorsus & inauditum institutum, tamen quâ ratione susceptum sit haud difficile conjicias. Non is est inimicorum meorum stupor, ut tam necessarium officium sponte omissuri fuerint, si quid reperire valuissent, quod mihi cum aliquo colore objici posset. sola ergo huc ipsos penuria criminationum adegit. Non erant nescii prioris belli Parisiensis motus, qui videbantur magis patere calumniæ, tot Regis Christianissimi irrevocabilibus decretis sepultos & deletos esse, nihil ut inde in me accusationis conflari posset, quin fides publica horrenda perfidia violaretur, & pars Regni maxima eodem crimine involveretur. In iis vero quæ consequuntur temporibus nullam inveniebant ne calumniandi quidem causam. Etsi enim sub illorum temporum initia innumerabilis hominum multitudinis, quam fame enecari quibusdam placuerat, miseratio ad quædam me traxerit à sensibus meis ac moribus abhorrentia; postquam tamen illa formido discussa est, eam in hoc priore tumultu rationem inii, quæ stabiliendæ paci non minimum profuit, & deinceps eum tenui vitæ cursum, & firmandæ Regis auctoritati tam felicem operam navavi, ut ab ipsius Reginæ ore gloriosum hoc testimonium expresserim, *Reditum Regis in Regni sui metropolim Cardinalis Retii studiis esse perfectum.*

Ergo tamdiu innocens fui quamdiu captivus. Nulla toto illo tempore, nec accusationis nec judicii mentio: at statim ac libertatem recepi, nocens derepente sum factus; tunc omnimodis calumniis appetitus atque conscissus; tunc tota in me Gallia Regiis jussis armata; tunc perduellium numero habiti qui aliquo in me non dicam pietatis sed humanitatis officio fungerentur, non aliam ob causam nisi quod antiquissimo jure usus, injustissimæ & in Ecclesiam contumeliosissimæ captivitati me subtraxissem.

Sed dum mihi omnes in Galliam aditus intercluderentur, dum soli ibi carceres paterent, dum pararentur exercitus, qui me in eo, quo confugeram, loco invaderent caperentque, interim, proh pudor! læsæ mihi majestatis crimen intendebatur quod tam

aperta

aperta necessitate coactus per Hispaniam Romam petiissem; quamvis criminatoribus haud dubium esset, meum per Hispaniam transitum multis de causis clarissimum integritatis & fidei meæ monumentum fuisse. Crimini etiam datum, quod sacro illo oppressorum Episcoporum asylo usus essem; nec aliud atrociores in me calumnias excivit. Non prohibuit debita Petri Cathedræ reverentia quominus crudelissimæ signa vindictæ Romam usque perferrent. Quamprimum huc veni, addictis Galliæ Cardinalibus edictum, ne quo mecum vel pervulgatissimæ humanitatis officio jungerentur, nec aliter Aulæ Gallicæ acerbitati satisfieri posse denuntiatum, quam si omnem mecum caritatis communionem abrumperent, quam sibi à Conciliis gravissima auctoritate præscriptam Episcopi sine gravi scandalo & aperta Canonum violatione abrumpere non possunt. Vetitum etiam est, ne qua me eorum, qui Romæ sunt, Gallica Monasteria aut communissimis officiis colerent, aut in Ecclesiam suam acciperent; qui metus tantum in S. Antonii Religiosos valuit, ut me hospitio accipere non ausi sint. Ipse Missionariorum præpositus, qui me summi Pontificis jussu in domum suam acceperat, revocatus in Galliam st, quod huic Sanctitatis suæ decreto paruisset. Postremo S. Ludovici Parochus, quod emihi in suæ Ecclesiæ ingressu, in quam sacrum Collegium convenerat, aquam benedictam obtulisset, graviter ob id à D. De Lionne objurgatus & increpitus est.

Sed ut hæc exilia inimicis meis videbantur, nec jam in personam meam poterant pro voluntate sævire, quam parta libertate eorum potestati subtraxeram, vim omnem suam in Ecclesiam meam verterunt, & quam me captivo aliqua siverant sub Vicariorum meorum potestate libertate potiri, eandem ubi me liberum sensere, in servitutem redigere omni ratione tentarunt. Hoc animo post illud meum ex Nannetensi arce effugium Regii Concilii Edicto Vicariis meis vetitum est, ne quod Decretum non prius Regis cum Concilio communicatum publicarent, ut sic Parisiensis Ecclesiæ suprema potestas & auctoritas penes istud Concilium esset, quam illud sic partam in omnibus deinceps retinuit & exercuit. Eadem mente non multo post longius progressi sunt. Nam cum priori illo autoritatem meam utcumque agnovissent, mox aliud Peronnæ ediderunt, in quo Regii Ministri ac Franciæ Marescalli Patriarcharum & Episcoporum personam induentes sedem meam vacuam esse decreverunt, eo ipso fere tempore quo summus Pontifex Archiepiscopum me Parisiensem agnoscebat, & frequenti Cardinalium Concilio Pallium meæ Dignitatis insigne conferebat. Eodem proposito evocati Parisiis Vicarii mei mox in extremos Regni fines relegati sunt. Simili exilio multati Canonici quidam in Archiepiscopi sui dignitate tuenda firmiores. Tum notissimæ pietatis, & inconcussæ in me fidei Parochi à grege suo violenter avulsi, & ex ipsis altaribus abstracti sunt. Denique eodem opprimendæ Ecclesiæ studio adactum est Capitulum Parisiense tum Peronnensi illo Decreto, tum omnimodis minis ac terroribus, tum aperta violentia, ut Archiepiscopi sui jurisdictionem invaderet, & Ecclesiæ disciplinam horrendo & pestifero vulnere sauciaret.

Non faciam, Illustrissimi Collegæ, ut hujus memoriam renovem. Oblivisci volo quicquid inde flagitiorum, scandalorum, sacrilegiorum, in Ecclesiam meam fluxit, utinamque ex omnium animis deleri posset tam perniciosi exempli recordatio. At illa si prorsus extingui non potest, hoc tamen inde Ecclesia consequetur, quod ab iis ipsis, qui licet optimè per se in Ecclesiam animati, se tamen eo per vim adduci passi erant, non multo post rescissum est, & sacrilegum illud inceptum toti Galliæ Clero detestatum, tametsi vi & injuria maximè formidanda munitum, stare tamen omnino nequiverit.

Et tamen quo non illius tuendi studio provecti sunt? Postquam Capitulum Parisiense

illam abdicasset auctoritatem, quam retinere nisi eversis omnibus Ecclesiæ legibus non poterat, traditum sibi à me munus ineunt Archipresbyteri Parisienses, & legitimi ejus administratores à toto Diœcesis Clero agnoscuntur. At ipsis Regium Concilium non multo post usu suæ potestatis interdixit, ac sic laïca & seculari auctoritate Episcopi ministri suo munere depulsi ac divinissimis & maxime spiritualibus ejus officiis privati sunt. Accersitur in Aulam unus è Vicariis & dure accipitur: in alterum, qui latebras tot clarorum, qui inter Ecclesiæ persecutiones floruerunt, Episcoporum exemplo quæsierat, quasi nocentem ac nefarium omni acerbitate inquiritur. Ad Prætorii Concilii laïcum tribunal delatus Præconis voce ante ipsas Ecclesiæ suæ fores quasi sceleratus buccinatur. Monitiones ejus ignibus Carnificis manu traduntur, quo sic penitus conculcaretur Ecclesiæ potestas, cui non alia suppetit via, ut auctoritatis & privilegiorum suorum violatoribus divini judicii terrorem incutiat. Denique ad Ecclesiæ oppressionem enormi violentia cumulandam judex laïcus & inferior exilio damnare ausus est sacerdotem, Parochum, Sorbonæ Doctorem, & Archiepiscopi Vicarium generalem, & sine ulla Ecclesiastici judicis cognitione, ejus Beneficia vacua, & cuivis ad impetrandum exposita pronuntiavit, quasi omnibus excidisset Ecclesiæ privilegiis, quod debitum ac præscriptum divina lege obsequium Episcopo præstitisset.

Post tamen agnoscenda fuit saltem in speciem autoritas illa tot iniquitatibus oppugnata: Reipsa siquidem compertum est eripi illam mihi nisi perturbatis omnium conscientiis non posse. At ut ingratiis & invito agnoscebatur, manebatque idem propositum & voluntas, ad alias non minus perniciosas opprimendæ Ecclesiæ vias itum est.

Pacis studio eo me siveram adduci, ut uni eorum, quos acceptos sibi Aula significabat, vices meas committerem. Sed brevi cognitum in ejus delectu nihil illam errasse, eumque mihi Ministrum oblatum, qui omnes Aulæ nutus cæco potius obsequio sequeretur, quam impositi sibi muneris partes obiret; Quis crederet fore, ut designatus Episcopus omnia Episcopatus jura tam indigne proderet, ut ejus, à quo totam acceperat potestatem, tam contumaciter jussa contemneret, ut missa sibi de rebus mere Ecclesiasticis ac minime odiosis Mandata, atque illud in primis, quo publicæ preces ad impetrandam cœlitus pacem indicebantur, comprimeret; ut Actis publicis Archiepiscopatus Parisiensis, quasi vacantis, Vicarium se dicere auderet; ut præstito meo nomine fidei jurejurando meum in Regem obsequium testificari nominatim jussus, idque simul cum iis litteris, quibus Vicarius à me deligebatur, hoc tamen officio fungi detrectaret, adeo illi nullum pro Archiepiscopi sui rebus studium, nulla calamitatis nostræ cura aut sollicitudo erat. Quis porro in Ecclesiæ injuriis tanta ipsum fore lentitudine suspicaretur, nihil ut doloris indignationisque præ se ferret, cum probrosis in Episcopatus dignitatem tabulis & intentato etiam extremi supplicii metu omnibus meæ Diœceseos Fidelibus interdici vidit, ne quo mecum officio jungerentur, id est cum eo, quem illi Pastorem sibi ab ipso Deo præpositum, & donorum in se divinitus defluentium canalem revereri jubentur? Quis denique Ecclesiasticum sic omnem Ecclesiæ disciplinam oblivisci posse arbitraretur, ut è duobus Episcopis, quibus omni Episcopali functione intra Diœcesim meam publicis Actis interdicere compulsus fueram, quod auctoritatem meam contra Canonum scita invasissent, alterum Pontificali ritu mysteria celebrare sineret, alterum è tot, qui Parisiis aderant, Episcopis potissimum deligeret, & scripto quoque precaretur, ut

sacros in Ecclesia mea Ordines conferret ? Quod si auctoritatem meam in hominis tam indigne ipsam & propudiose conculcantis diutius manibus reliquissem, quis non merito mihi similem Characteris mei negligentiam atque contemptum, similem animarum salutis incuriam exprobrasset, præsertim si me postremum illud ausum nihil commovisset, quod piis omnibus tanto horrori fuit, ut ex iis, qui ad sacros Ordines admissi erant, triginta & amplius se subduxerint, & sic Ordinari recusarint, magna vero eorum pars, qui se Ordinari siverunt, Romam, ubi tunc eram, postea miserint, ut in ordinis sui functiones restituerentur ? Ergo ineluctabili necessitate compulsus hoc amoto aliis potestatem meam permisi dignius illa jam & fidelius usis, qui meæ potestatis usus tam necessarius ille, tam legitimus, novas rursus tempestates in Ecclesiam meam excivit. Accitus à Cancellario unus è Vicariis multis licet suam in Regem fidem contestatus, ac sola demum spiritualia se curaturum pollicitus, ad ipsius fores à lictoribus prehenditur, & extemplo ad Bastiliam sive Antonianam arcem ductus dedit gloriosissimi criminis pœnas, quod in rebus mere spiritualibus Archiepiscopi sui Mandato paruisset. Sed ut ex illa importuna & effera vi id demum consequebantur, ut causæ meæ æquitas & inimicorum meorum injuria clarius emineret, dum meam auctoritatem omnibus modis eversam tendunt, eamdem tandem inviti licet ac reluctantes agnoverunt, sed eo more quem in hoc negotio perpetuo tenuerunt, nihil ut usquam reverentiæ adversus Ecclesiam præ se ferrent, quin eam insigni aliqua contumelia sarcirent. Hoc nos docere voluit inimicorum meorum unus vel infensissimus, cujus hæc verba sunt in quadam epistola typis edita. *Jussit*, inquit, *Cancellarius alteri ex Vicariis, ut muneris sui partes impleret.* Quasi ex secularis Magistratus jussu spiritualis usus potestatis pendere debuisset.

Sed dum Parisiis tam indignis modis mea dignitas oppugnabatur, Romæ non minus injuste atrocibus calumniis invadebar, tam absurde, stulte, furiose, ut cum Regni Gallici jura ac majestatem acerrime defenderem, unusque in Conclavi Hispaniæ Legato Regi suo Ecclesiæ primogeniti titulum tribuenti intercessissem, hoc ipsum tamen inimicorum maledicentia arripuerit, idque ab utroque composito factum criminari ausa sit, atque in meæ cum Hispania consensionis argumentum trahere. Jam vero passim differebantur illi rumores non alio me consilio Romæ manere, quam ut Pacis negotiationes interturbarem, & Sanctitatem suam à Gallia abalienarem. Palam etiam Sedis Apostolicæ Nuntio objectum est patrocinium illud, quo me Romæ sua Sanctitas dignabatur, nec quicquam prætermissum, ut quocumque modo ex Ecclesiæ ditione extruderer. Denique direptis omnibus meis facultatibus curabatur nihil ut esset, unde personam Cardinalis & Archiepiscopi Parisiensis Romæ cum dignitate sustinerem. His præter alias rationibus adductus Romam primum cum summi Pontificis venia reliqui, ut ad S^{ti} Gaciani balnea me conferrem, quæ mihi ad valetudinem opus erant. Post suborta Romæ pestilentia, cum à Sanctitate sua non impetrassem, ut in Nosocomio ægris ministrare me sineret, ex Italia penitus abscessi, ubi me omnibus pridem, quorum causa veneram, officiis cumulate functum diutius adesse nullius erat utilitatis. Nam & quo statu Ecclesiæ meæ res essent Sanctitati suæ demonstraram, & injurias illas, quibus in me Episcopalis dignitas violata est, nimis illi esse perspectas, re ipsa compereram, quam ut sperandi locus esset, ut de fictitiis illis perduellionis criminibus quæstionem institueret, quæ mihi

ob

ob id tantum objici palam erat, quò sub ijs flagitiosa illa ausa delitescerent, quæ judicio persequi longe justius potuissem.

Nihil ergo attinere visum est ibi diutius commorari, ubi perpetuas Aulæ Gallicæ in Sanctitatem suam obtrectationes elicerem, prorsusque occultæ vitæ degendæ à Deo mihi necessitatem afferri arbitratus sum, vel ob id unum, ne quibus affectus fuerat summus Pontifex molestiis, iis & gravioribus etiam minores Principes exponerem, qui mihi in ditione sua perfugium concessissent.

Quid minus criminosum & noxium erat, quam tot in eo Sanctorum, in quos Principum ira olim incubuit, exempla consectari? latuit in desertis Thebaïdos Athanasius, imo in Cisterna defossus latuit Eusebius Samosatensis, & innumeras regiones obivit occultus, non suæ modo, sed totius Asiæ Ecclesiis consulens. Latuere innumeri alii. Quis igitur non indignetur, meum hunc tam necessarium secessum inimicorum meorum maledicentiæ patuisse? Quis non miretur tantam illorum inconstantiam, ut modo mihi quod Romam confugerim, modo quod Roma digressus sim, crimini vertant? Quis duritiem ac crudelitatem ferat, qui hinc in me acerbius invecti sint, quo leniri vel infensissimum odium possit? Scilicet, si quid ipsis superesset humanitatis, misereret utique ac puderet sua violentia eo me calamitatis esse redactum. Nec dubito quin hic vestra, Illustrissimi Collegæ, viscera moveantur, mœstisque ac dolentibus vobis obversetur indigna facies Cardinalis & Archiepiscopi primariæ urbis primarii omnium Regni in aliam ex alia regionem, aliam ex alia urbem assidue migrantis, itinerum periculis, periculis latronum, periculis ex perfidorum servorum insidiis objecti, malis, miseriis, intus, extra, undique circumcessi, &, si qua sibi nonnullorum caritas offerret subsidia, necessario respuentis, ne quos in se beneficos sentiret, participes efficeret suæ calamitatis.

Et tamen, Illustrissimi Collegæ, sic mihi Deus in ijs angustijs affuit, sic infirmitatem meam gratiæ suæ potentia sustentavit, tantum ex conscientiæ testimonio, ex causæ, propter quam ista perpetior, sanctitate solatii dedit, ut post septem tam violentæ oppressionis annos nihilo sim animo fractior, nihilo ad deserendas Ecclesiæ utilitates paratior, quam illo ipso die, qui mihi istarum miseriarum initium fuit.

Cur autem tam longo deinde tempore mihi quiescendum putarim, superius jam ostendi. Quod meum consilium magis etiam vobis probari necesse est, ubi cognoveritis quem exitum habuerint illi conatus, quibus sub mei secessus initia illatas Ecclesiæ contumelias persequi volueram.

Habebatur tum Parisiis Gallicanæ Ecclesiæ conventus. Hunc mihi appellandum putavi, ratus ad ipsum non minus quam ad me defendendæ Ecclesiæ Episcopalisque „ dignitatis curam pertinere. Ergo scripta ad eum epistola demonstravi, Me reve- „ rentia erga Gallicanum conventum & studio lenitatis adductum, à spiritualium „ adhuc armorum usu temperasse, quæ nullâ mihi inimicorum vi & potentiâ eripi „ possent: Prius mihi visum esse ipsorum interventum implorare, quo suis monitis „ ac precibus à maximi Regis pietate impetrare niterentur, ut illatæ communi „ omnium Episcoporum dignitati injuriæ aliqua satisfactione piarentur: Iniquius „ me de ipsis existimaturum ni dignas tot claris eorum decessoribus actiones spera- „ rem: silentio Conventus firmari quicquid in Ecclesiam factum atque tentatum, & „ voluntaria dissimulatione voluntariam invehi servitutem: Mihi quicquid demum

accideret,

„accideret, decretum esse ad ministerii mei defensionem, quascumque mihi Deus „largiri dignaretur, vires conferre, simulque & debitam Regi fidem, & debitam „Characteri meo firmitatem præstare, naturæ & Ecclesiæ jura servantem: Rogare „ergo ut boni consulerent, iterum me apud ipsos profiteri, nec pati me diutius „posse tot Ecclesiæ meæ labes & turbas: Et tamen modo satisfieret Ecclesiæ tot „damna injuriasque perpessæ, modo extorres Parochi suis gregibus redderentur, „modo Vicarii mei ab exilio, à carcere extraherentur, modo Parisiensi Ecclesiæ „merè spiritualis & innoxii cum Pastore suo commercii libertas concederetur, mo„do restituerer in annuos Sacerdotiorum meorum reditus, quibus sine sacrilegio „spoliari non possum, numquam recusaturum ad eas conditiones descendere, quibus „certa pax & tranquillitas Ecclesiæ meæ conciliari posset. Hac epistola 23 Oct. die Conventui à Vicario meo reddita, initaque biduo post de ea, deliberatione, tandem Conventus Consultum fit, *Ut Regi pro impetranda bonorum meorum restitutione preces ac monitus adhiberentur*. Hic verus clarissimi Conventus sensus haberi debet: quæ consecuta sunt, ex privato quorumdam sensu prodierunt, quorum ego nomina caritatis instinctu studiosius reticebo, quam illi à quibus ad frustrandam Cleri Gallicani constantiam adhibiti sunt, eas quibus id perfecerunt artes & operationes occultas habere laborarunt. Eorum, qui in me iniquiores fuerunt, commissa æterno si possem, silentio obruere in votis esset: Nec sum nescius maximam partem eorum, qui decreta mihi apud regiam Majestatem officia sex mensibus distulerunt, ea spe in consilium illud inductos, fore ut illa veluti mora sævientis in me procellæ asperitas mitigaretur, nec satis advertisse in Decretum illud inseri clausulam, de qua mox erit agendi locus, Conciliorum & Canonum Decretis, & Thomæ Cantuariensis libertatis Ecclesiasticæ acerrimi vindicis exemplo manifeste contrariam. Absit tamen, Antistites Illustrissimi, ut hoc dedecore totum Clerum Gallicanum aspergam. Vere enim è contra dici potest, non alio magis loco enituisse illius Corporis firmitatem. Non enim omnibus illis operationibus, prensationibus, ambitu, impediri potuit, quominus major eorum pars qui in Conventu aderant, adversus Aulæ minas ac promissa immota perstaret, Episcopatusque jura & Ecclesiæ privilegia Ecclesiastico vigore & sacerdotali libertate defenderet. Quod autem illorum constantia successu caruerit, factum est istorum Conventuum more, in quibus non singulorum capitum, sed singularum modo provinciarum suffragia numerantur: Unde fit ut eadem sententia & plurium capitum esse possit, & pauciorum provinciarum.

Ex hac, credo, quam strictim recensui, nostræ calamitatis historia facile perspicitis, jam inde à multis seculis numquam Ecclesiam durius acerbiusque vexatam; nec fieri potest, quin in illa narratione varii interim motus animos vestros subierint. Subiit certè indignatio adversus tot scandalorum auctores: subiit miseratio in Archiepiscopum Cardinalem tot continenter malis obrutum; subiit Zelus in tam apertam Canonum & Ecclesiasticæ Disciplinæ infractionem: subiit denique Episcopalis caritatis affectus, cujus instinctu vota saltem ad Deum precesque fundetis, ut tot turbæ, flagitia, injuriæ divino tandem nutu ac benignitate comprimantur. Has autem injurias duplici in genere esse vidistis; alias in contumeliis quibusdam sitas, & temerariis inceptis, à quibus tandem adversarii mei resilierunt; alias autem etiamnum manere, nec longius dissimulari posse, nisi placeat Ecclesiam cujusvis insolentiæ objici impune violandam. Perennes illæ & perseverantes injuriæ sunt, quod fictitiæ li-

tis specie, quam auspicari & ingredi aliqua legitima actione septem jam annis ausus est nullus, in qua delatorem se nemo professus est, toto tamen illo temporis intervallo adversus omnia tum humana, tum divina jura, Archiepiscopus sua sede manet extrusus omnibusque bonis spoliatus, sive quæ ad ipsum ex patrimonio, sive quæ ex Ecclesiæ Beneficiis redibant. Servatur quidem ipsi Archiepiscopi nomen & titulus; maximæ urbis legitimus & à Deo constitutus Pastor agnoscitur; at Ecclesiasticæ potestatis nonnisi larva quædam & adumbrata species conceditur: atque ita Parisiensis Ecclesia monstrum quoddam Ecclesiæ fit ac vere acephala redditur, quæ à vero & legitimo capite regi & gubernari prohibetur. Hæc sunt quæ magni refert rursus toti Ecclesiæ demonstrari, ut nemo dubitet quam gravi & arcta necessitate compellar his flagitiis omnem meam auctoritatem opponere. Ordiar à bonorum direptione, quod ibi violentia sit apertior.

Necessaria vitæ subsidia jure divino deberi Pastoribus, nec hanc liberalem esse Fidelium largitionem, sed præscriptum à Christo justitiæ officium, certum ac constans est fidei dogma. Hoc jure potitos Apostolos omnes asserit Paulus; nec ambigi potest quin idem ad Apostolorum successores Episcopos cum ceteris transmissum sit. Docent præterea Concilia, præsertimque Gallica, ut Tussiacum anni 860, Ecclesiæ prædia primis illis Fidelium oblationibus successisse, eorumque loco esse quæ ad Pastorum suorum sustentationem conferebant. Ex quo colligi licet, ut nulli terrenæ potestati jus divinum subest, sic nulla quoque ratione à sacrilegio vindicari posse quod in me septem jam annis exercetur, ut hinc verus & legitimus Ecclesiæ meæ Pastor agnoscar, illinc omnibus vitæ subsidiis spolier, detractis generatim omnibus, quæ Fidelium pietas Ecclesiæ Parisiensi dedit ad Episcopi sui sumptus. Nullas è Republica petitas rationes, nulla carnalis inventa prudentiæ divinæ legi licet opponere. *Dignus est*, inquit Christus, *operarius mercede sua*; nec illud Paulinum Decretum ulla lex humana convellet, *Quis militat suis stipendiis umquam, quis pascit gregem & de lacte ejus non manducat?* Quibuscumque me fictis ad libitum criminibus oneret calumnia, quamdiu Ecclesiæ Parisiensis Archiepiscopus agnoscar, quamdiu Ecclesiæ judicio abdicatus non fuero, quod ut aliquando contingat non vereor, prorsus mihi iterum hoc confirmo, annexi Dignitati meæ reditus eripi non possunt sine manifesta sacrilegii labe, cujus auctores omnia illa in se devocant fulmina, quæ in bonorum Ecclesiæ raptores tot jam olim Concilia torserunt. Quis igitur tam apertæ divinæ legis violationi absurdum hunc colorem ferat obtendi, non præstitum à me fidelitatis juramentum, quasi non illud præstare centies voluerim, quasi non illa una, quæ in me sita erat, ratione præstiterim, idque omnibus notum non fecerim? Quis autem non miretur hanc non præstiti fidei jusjurandi causam apud ipsum summum Pontificem allatam, ut Ecclesiasticis bonis jure ipsi probarer exutus, cum nemo nesciat longe paratiorem Romam esse ad amplectendum Carisiaci hac de re Concilii Decretum, quam ad ejusmodi sermones & causas audiendas? Ego vero nostri hac in re Regni morem sequi numquam recusavi, qui mihi ita semper æquitati visus est convenire, ut mihi ipsi vehementer succenserem, si quid in me moræ fuisset, quominus tam justo officio fungerer. Sed debita juri divino reverentia facit, ut hic iterum libere denuntiem à Deo ipso concessum Episcopis jus illud, quo à populis necessarias sibi impensas accipiunt, sive, quod eodem nunc redit, ut adjunctis Ecclesiæ suæ reditibus fruantur, quando nihil jam aliud à populis accipiunt. Nihil eo antiquius

quius extat in Evangelio, quo nititur titulus, nec Episcopo illud abjudicari potest, nisi ab eo qui Evangelium plane contemnat. Nec abnuo Episcopi bona hoc fidei suæ testimonium præbere præfractius recusantis in custodiam tradi posse. Non enim in hac causa bonis suis à Rege spoliatus, sed his ipse potius frui nolle videri possit, qui rem per se facilem & in potestate sua positam facere recusaret: At illam legem ponere, Episcopum concessis sibi Christi decreto subsidiis frui non posse, nisi præstito prius fidei jurejurando, eumdemque simul ab illo officio prohibere, ut interim facultatum suarum fructu privetur, id non modo à Christianis, sed ab humanis omnino sensibus alienum. Nil justius, quam Clientelæ professiones quas Domini à Clientibus exigunt. Ipsis enim prædia hac conditione concessa sunt, cui si desint, juri suo pariter renunciant. Et tamen nullus est tam iniquus judex, qui Dominum injuriæ non damnaret, qui Clientis prædia eo nomine invasisset, quod Clientelam professus non fuerit, à qua ab ipso Domino prohibebatur. Durius multo & injustius cum Ecclesia nunc agunt, qui Episcopum omnibus Ecclesiæ suæ bonis merito spoliatum esse contendunt, quod ei conditioni defuerit, quam cum implere vel maxime studeat, ab iis ipsis implere prohibeatur qui conditionem illam exigunt. Pudet in tam perspicuis immorari, nec juvat tam absurdam rationem solenni Parisiensis Senatus decreto refellere in simili causa Carnotensis Episcopi. Hoc enim loco validius est ipsum communis sensus & naturalis æquitatis lumen, quam quævis Magistratuum scita, quævis hominum judicia. *Valeat aliquid*, inquit Augustinus, *ad se ipsam persuadendam ipsa evidentia.* Nec latuit inimicos meos, quam inanis & frivolus hic color ad barbariem illam, qua me tot jam annis ad extremam inopiam redactum tendunt, aliqua justitiæ specie prætexendam. Nam si ille in Archiepiscopatus bonis absurdus, in privatis facultatibus, vel in Abbatiarum reditibus, quibus pariter spoliatus sum, ne afferri quidem poterat. Aliud ergo sibi providerunt criminationis genus, me scilicet læsæ majestatis reum esse, eoque nomine duo inter se diversa pugnantiaque contenderunt: alterum, posse Regem oblatum à me jusjurandum jure respuere; alterum, nulla jurisjurandi habita ratione omnibus me bonis ob illum perduellionis reatum merito à Rege spoliatum. Ecquid vos hoc loco, Collegæ clarissimi, novas illas leges, seu legum potius omnium perversionem non indignamini? Quis jam innocens habendus, si nocens est quisque non modo statim ac accusatur, sed priusquam ulla judiciaria actione accusatio ipsi denuncietur? Quid fiet legibus, quæ vetant, *ne quicumque in capitis discrimen accersitur, statim reus qui accusari potuerit, existimetur; ne subjectam innocentiam feriamus, quisquis ille sit qui crimen intendit?* Quis bonis suis cum aliqua jam securitate fruetur, si ut iis quisque privetur, causæ satis est quod vagis rumoribus & calumniis ab inimicis suis passim conscissus sit?

Sed quamvis lis illa, quam septem jam annis in ore habent, solida res esset, non larva solum & inane simulacrum, etsi jure contestata & præviis quæstionibus & actionibus ad judicium parata, quid tandem afferri causæ posset, cur omnibus Ecclesiæ bonis exuar, iisque præsertim quæ Archiepiscopi dignitati affixa sunt, antequam Canonico judicio de Sede dejectus essem? Potest, inquiunt, Rex ejus jusjurandum respuere, quem reum peragere decrevit. Ubinam, quæso, lex illa seu privilegium est, quod Regem exolvit jure naturæ? quo tempore scriptum? quis usurpavit? quandonam tam intolerando servitio Ecclesia consensit? Aut cui umquam Christiano Principi in mentem venit hac servitute Ecclesiam premere? Quid igitur iniquius,

 quam

quam ad Epiſcopum neceſſariis vitæ ſubſidiis ſpoliandum ejus legis ſpeciem obtendere, quæ numquam extiterit, quæ recens plane commentum eſt, nec in ullum adhuc adhibita eſt quantumvis infimæ ſortis ſecularem è Gallia exulantem? Parum eſt quod hanc legem dico numquam extitiſſe; imo ne exiſtere quidem poteſt. Pugnat enim manifeſte cum Chriſti mandato & jure divino, uti ſuperius probatum eſt. Id injicio; Numquam illud fidei jusjurandum ſpectatum eſt, quaſi Regum in Epiſcopos beneficium, ſed tamquam onus quoddam & officium quod Reges ab Epiſcopis exigunt; quod ſi oblatum accipere recuſent, utique illius præſtandi Epiſcopi neceſſitate ſolvuntur, cui non ſubſunt niſi cum exigitur. Nec juris inde quicquam Principibus accedit, ut Epiſcopum bonis Eccleſiæ ſpolient, quæ ipſi ideo conceſſa ſunt, quod altari miniſtret, cum ipſum ab altaris miniſterio removere non poſſint, nec efficere ut non illius auctoritate ſpirituales divitiæ in populos effundantur. En qualem & quam horrendam injuriam juſtiſſimi omnium Regis nomine defendant. En quibus gradibus perducta ad cumulum iniquitas. Univerſis Epiſcopatus mei bonis ſpoliatus ſum; quam ob rem? quia, inquiunt, jusjurandum Regi non præſtitiſti. Cur autem non præſtiti? Nempe quia ipſi accipere renuerunt. Renuunt autem, aiunt, donec perfecerint ut de me judicium inſtituatur. Non inſtituitur autem, quia nolunt, nec poſſunt. Sic illâ iniquitatum catenâ, quæ ad extremum ex inimicorum meorum voluntate religatur, ſeptem jam annis omnibus bonis exuor, quæ Dei Eccleſiæque mandato miniſterii mei ſtipendia ſunt.

Sed nihil clarius oſtendit, quam perdita ſit inimicorum meorum cauſa, quam quod eam ijs demum rationibus tuentur, quæ ejus iniquitatem clarius prodant. Litem mihi intendere ſibi propoſitum eſſe denunciant. At lis illa, quam tamdiu fruſtra minantur, omnibus ad oculum demonſtrat, nullam in hoc negotio æquitatis haberi rationem, ſed omnia cæca tantum & furiali violentia peragi. Noſtis enim profecto, Illuſtriſſimi Collegæ, nihil in Canonico jure certius & conſtantius, quam Epiſcopos ſede pulſos ac bonis exutos prius in integrum debere reſtitui, nec ullam adverſus ipſos judiciariam actionem inſtitui poſſe, antequam omnia prorſus ablata receperint. *Nulla enim permittit ratio, dum ad tempus eorum bona vel Eccleſiæ atque res ab æmulis aut à quibuſcumque detinentur, ut aliquid illis objici debeat. Nec quicquam poteſt eis quoquomodo quilibet majorum vel minorum objicere, dum Eccleſijs, rebus aut poteſtatibus carent ſuis.* Decret. Grat. 2. q. 1. Hanc vero ſanctionem Nicolaus I omnibus tum Eccleſiaſticis, tum civilibus legibus niti docet. *Omnes leges*, inquit, *tam Eccleſiaſticæ, quam vulgares & publicæ præcipiunt ut omnia ſibi ablata reſtituantur ei qui ſuis eſt rebus ſpoliatus.*

Mitto pluribus uti firmamentis in re certa & perſpicua, nec juvat inſignia ex Eccleſiæ monumentis exempla proferre, quibus probatum eſt hanc legem ita perpetuo ſervatam, ut illius beneficio excluſi non ſint qui appetitæ inſidiis Regis vitæ arceſſebantur: cujus fidem facit Ægidii Remenſis Archiepiſcopi nobilis hiſtoria, qui cum in carcerem ideo conjectus eſſet, quod in Regis Childeberti vitam nefarie conjuraſſet, evocati tamen Virodunum Epiſcopi Regem libere monuerunt, præter jus Ægidio injecta vincula: nec prius ad ejus cauſam excutiendam acceſſerunt, quam ejus libertatem, & in Epiſcopatum reſtitutionem impetraſſent. Libet tamen hic referre quid ſuper hac re ſcripſerit Gotfridus Vindocinenſis, quod multa ſimul hujus legis teſtimonia complectatur, & ſolenni decreto, quo Urbanus hoc Diſciplinæ caput in Claromontano Concilio ſancivit, præſentem ſe affuiſſe teſtetur. *Docent nos Decreta Sanctorum Romanorum Pontificum, Leonis videlicet Magni, Symmachi, Felicis, Gregorii, Hormi-*

ſdæ, Sixti, Euſebij, nullum ſuis rebus exſpoliatum vel à propria ſede pulſum, in aliquo judicari vel ad Concilium debere vocari, donec omnia quæ ſibi ablata fuerant, ex integro reſtituantur, quæ tanto tempore poſſideat, quanto ea amiſiſſe cognoſcitur. Si quis dicit non ad judicium cauſæ, ſed ad judicium inveſtituræ exſpoliatum poſſe vel debere vocari, claves ſanctæ Eccleſiæ agitare, & leges Catholicæ & Apoſtolicæ ſedis violare conatur, quibus prohibitum eſt, ne quilibet exſpoliatus vocetur ad judicium, ſive in aliquo judicetur. Si igitur exſpoliatus in aliquo judicari non debet, manifeſtum eſt, nec ſuper hoc rationabiliter dubitari poteſt, quod non ſolum judicium cauſæ & inveſtituræ ab exſpoliato removetur, verum etiam nulla contra eum judicii vocatio fieri permittitur: quoniam inane eſſet & vacuum eum ad judicium vocari, qui in nullo judicari conceditur. Præterea novimus, qui præſentes eramus, Dominum Papam Urbanum in Arvernenſi Concilio ſuper hoc definitam & ab omnibus qui aderant Epiſcopis & Abbatibus laudatam dediſſe ſententiam, ut quicumque ſine vocatione & judicio exſpoliarentur, etiam ſine vocatione & judicio inveſtirentur. Poſtremo Eccleſiaſticæ libertatis inſignis defenſor Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus omnes exemplo ſuo docet quid Epiſcopis his temporibus agendum ſit, Nam ut in ejus vita legimus, etſi Angliæ Rex judices adverſus ipſum magna contentione depoſceret, ac ni impetraret, ſchiſma minitaretur, perſtitit conſtanter tamen Thomas apud ullos ſe judices ſiſtere recuſans, priuſquam ſibi & ſuis amicis quicquid ablatum erat, reſtitutum fuiſſet. *Numquam*, aiebat, *ad judicium ibo. Pro libertate Eccleſiaſtica tuenda exul factus ſum & ſpoliatus, ut & plures amici mei & affines: non patiar ut adhuc mei cauſa jus violetur, neque reſpondeo antequam reſtitutus fuero cum omnibus aliis in rebus quibus & ego & illi ſpoliati fuimus omnes, ſecundum legem Eccleſiæ; & tunc ſubibo quodlibet judicium ordinarium & competens.* Ex his patet, Antiſtites Illuſtriſſimi, nefas eſſe indemnatum Epiſcopum bonis ſuis exuere, cujuſcumque tandem criminis accuſetur. Quod ſi vi & impreſſione ejuſmodi injuria ſit affectus, hoc depoſcit ordo juſtitiæ, ut in bona reſtituatur, antequam illius accuſandi copia fiat.

Rude porro & inane commentum eſt, quod à quibuſdam allatum, ita quidem jubere Canones, ut ſpoliatis ante accuſationem bona reſtituantur, at hanc reſtitutionem à judice decernendam. Hoc enim & aperte falſum eſt, omnibuſque legibus contrarium, ſi cujus, ut mea quæ jam ſeptennium durat, certa & omnibus cognita ſpoliatio ſit, & tum Concilii Claromontani locus ex Gotfrido Vindocinenſi ſupra relatus, tum inſigne Thomæ Cantuarienſis exemplum, cauſas illas pudendas & futiles colores ſatis evertunt, quos in adulatricis juriſprudentiæ ſubtilibus inventis mens iniquitatis ſibi conſcia nihilominus quærit. Itaque qui hac ratione utuntur ad minuendam inimicorum meorum invidiam, cenſeant oportet, bonorum alienorum raptori ante judicium id quod rapuit non eſſe reſtituendum, nec reſtitutionem ipſi ſuadendam, quia eam pro poteſtate jubere judicis eſt. Hæccine tam frivola, abſurda, inania in Eccleſiæ Gallicanæ cœtu propoſita, ne religioſiſſimum & juſtiſſimum Regem admoneret, quam indigne quantoque ipſius conſcientiæ periculo Miniſtri ejus regia auctoritate abuterentur ad Eccleſiæ perniciem? hanccine peſtiferam diſſimulationem pro fidei ac venerationis officio venditatam? Ecquæ enim contra major in Epiſcopis perfidia eſt, quam in Eccleſiæ negotiis divinæ legis Regem non admonere? Graviter & vere Gregorius VII, lib. 2, epiſt. 5, Epiſcopos Galliæ ab ejuſmodi perfidioſa fidelitate revocat. *Si prohibere*, inquit, *Regem à delictis, contra jus & reverentiam promiſſæ fidelitatis eſſe putatis, longe vos fallit opinio, quoniam hoc omni ratione confirmare poſſumus, multo fideliorem*

 eſſe

esse qui alium de naufragio animæ suæ vel invitum retrahit, quam qui in peccatorum gurgite nocivo consensu eum deperire permittit. Hinc est, ut ait Concilium Calchut. anni 780. *quod sancti multa cum libertate redarguerunt etiam Principum vitia, in quibus cum summa esset humilitas, loco tamen necessario libere transgressores justitiæ increpabant.*

Quis magnis illis Episcopis sensus esset, in hoc si seculum vivi revocarentur, ubi quamlibet pius ac religiosus zelus, ubi quamvis necessaria ac justa defensio, ubi quamlibet temperatus vigor nullis satis mollibus verbis uti potest, ut non illis fortunatorum ac potentium aures animique perstringantur? turbulenti, seditiosi, temerarij vocantur eximij sacerdotes ob ea Christianæ vitæ præcepta fidenter & animose defensa, de quibus sine errore dubitare non possent. Christiana & Evangelica libertas, insana temeritas dicitur: furoris & insaniæ loco ducitur severa illa indignatio, quam ex caritatis & mansuetudinis fonte proficisci docet Nazianzenus: Denique liberis illis Chrysostomi, Ambrosii, Bernardi vocibus degeneri obsequio compressis, ignava dissimulatio à divino quo regebantur illi, spiritu immensum abhorrens, sub falso moderationis titulo, virtutis nomine venditatur. An porro debitæ Arcadio orthodoxo Imperatori reverentiæ Chrysostomus defuit, cum se sub illius nomine à nonnullis Catholicis Episcopis vexari & opprimi libere quereretur? An perduellis in Theodosium Romanorum Imperatorem vel religiosissimum Ambrosius, cum ipsum ob cædem Thessalonicæ ejus jussu factam tam vehementer objurgaret? Quid Bernardus? An parum in Romanam sedem pius fuit, cum ad Innocentium & Eugenium eo modo scripsit, unde discere sit Principibus vel sapientissimis, solertissimis, optimis fucum fieri posse, liberasque de Ministrorum vi & injuria querelas ex sincero in Principis gloriam & utilitatem studio persæpe proficisci? Hac nisi libertate fruatur Ecclesia, quid esset, Illustrissimi Collegæ, magnatum & Principum conditione ad salutem periculosius, atque adeo infelicius & miserius? Commissa ipsis & concredita innumerabilis populi gubernatio, cujus Deo rationem reddituri sunt; immensum pondus & horribile; præcipua illorum curæ pars Ecclesia, quæ Christi regnum est, cujus servi esse gloriantur. Hujus divinissimi regni jura ac leges nec per se scire possunt, nec ab iis qui illos circumsident, accipere, cum utilitatibus suis unice servientes id agant & omni arte moliantur, ne inimica cupiditatibus suis veritas aliquà ad Regem perveniat. Quod igitur tam certi tamque præsentis exitii reliquum remedium, si nec Ecclesiæ congregatæ licet nubem hanc dispellere, ipsis quæ tantis occultantur artibus demonstrare, sua illis officia exponere, ex quibus aliquando, qualibet in seculo pompa circumfusi fuerint, Deo judicante metiendi sunt? Quantus religiosorum Principum dolor, ubi res ad salutem suam gravissimas, sed diu sibi dissimulatas postmodum rescifcunt? Quanta in ignavum illorum obsequium indignatio, quorum perfido silentio in magna coram Deo delicta prolapsos se sentiunt? Est vero, Illustrissimi Collegæ, quod merito speremus fore, ut Rex Christianissimus, cujus menti omnia Christianarum virtutum semina Deus abundanter infudit, brevi divini luminis ope cognoscat, quam fallaci publicæ utilitatis specie ad opprimendam in mea causa Ecclesiam incitetur, cumque annexis ministerio suo bonis spoliandum, qui licet ipsi in civili ratione subditus, tamen in divino Ecclesiæ ordine Patris apud ipsum locum obtinet. Erit certè cur indignetur maximus & optimus Princeps, ubi quæ nunc celantur, rescierit, iisque merito succenseat, qui tam inauditas iniquitates Regio nomine & auctoritate prætexunt. Nec aliud inimici mei vehementius timent, quam ne ad ipsum sincero alicujus testimonio ac relatu eorum, quæ

in hoc

in hoc negotio geruntur, veritas perveniat. Id ne accidat, omni arte, omni studio provident; nec aliud secuti in Conventu Gallicano tam multa turbarunt. Non enim ipsa per se Cleri officia formidarunt, cujus monitus promptum erat negligere, si qua modo quod susceperant, rationis umbra defendi potuisset. Unus illis metus fuit, ne quis incorruptæ fidei Episcopus Cleri nomine ea Regem doceret, quæ tanta ipsi cura dissimulantur; ne mendaces illos colores dilueret, quos adhibitæ in Ecclesiam violentiæ apud ipsum oblinunt; ne in ejus mente ob Archiepiscopum suum tam crudeliter à suis habitum justos excitaret conscientiæ morsus; ne denique liberè admoneret adumbratas illas carnalis Politicæ rationes, quas numquam qui gratia valent, vel maximis iniquitatibus non obtendunt, parum Regibus apud Deum profuturas, si Ecclesiæ jura harum specie violaverint. Non ergo illi Conventum veriti sunt, sed Regem ipsum: ipsius illi humanitatem ac justitiam, ipsius indolem vere regiam ac mansuetudine plenissimam formidarunt. Viderunt fieri non posse, quin tot moveretur flagitiis, si modo ipsi exponerentur. Omnem igitur politicæ calliditatis industriam, ut à nullo exponerentur, adhibuerunt. Hunc illi fructum ex illis tam parum probatis artibus ceperunt. Quod enim ad causam suam ornandam inde consecuti sunt, sic leve & exile est, ut prorsus indignum sit quod hac ratione pararetur. Nam si Conventus Consultum ipsorum iniquitati potuit tantisper obtendi, ad id demum in progressu valere potest, ut eam illustriorem & minus venia dignam efficiat. Quod vobis, Illustrissimi Collegæ, plenissime persuasum erit, postquam acceperitis id demum tanta contentione, tanto ambitu impetratum esse, ut pro illis officiis, quibus apud Regem fungi statuerat, quo mihi Ecclesiastici reditus restituerentur, hoc tantum decerneret, *Conventum à Rege suppliciter postulaturum, ut à judicibus Ecclesiasticis intra sex menses causa mea disceptaretur, qui primum de bonorum meorum spoliatione judicarent. Sin autem res longius extraheretur, Cleri negotiorum Curatoribus mandari, ut debitis apud Regem officiis fungerentur, quo res nostra ex Canonicis Constitutionibus & Ecclesiæ Gallicanæ immunitatibus ac privilegiis componerentur.* Si quis Claromontani Concilii locum, & Thomæ Cantuariensis voces superius allatas attendat, facilè perspiciet quam belle certis illis Ecclesiasticæ disciplinæ regulis hoc Conventus Consultum conveniat, nec ambiget quisquis hæc inter se contulerit, utrum Episcopo quamlibet oppresso, quamlibet probandæ apud judices innocentiæ suæ revincendæque inimicorum calumniæ cupido, potius & antiquius esse debeat. Ipsa Consulti illius verba satis loquuntur quid in eo inimici mei secuti sint. Sex mensium intervallo illa mihi intentata lis absolvenda dicitur. At ex illo tempore non sex modo menses, non unus annus, sed quatuor integri abierunt, quibus nullis actionibus informatum adornatumque judicium, nullum accusationis caput expressum, nullus judex ad fictitiam litem ordiendam constitutus est, rectè præsentientibus inimicis ex illo Conventus Consulto id demum consequi posse, ut decreta illa mihi officia evanescerent, cum iis verbis esset expressum, ex quibus derivari nulla lis posset nisi omnibus Ecclesiæ Decretis manifeste contraria. Ex quo omnibus perspicuum fit, id unum in toto illo negotio quæsitum & effectum, ut tempus injustitiæ, violentiæ, calumniæ concederetur. Quis non miretur, Illustrissimi Collegæ, eos qui in totius oculis Orbis omnes Ecclesiæ leges tam flagitiose proterunt, id sperasse, ut Apostolica Sedes fictitio perduellionis crimine delusa ipsorum velit violentiæ famulari, omissa tot injuriarum vindicta, quibus illi Ecclesiæ honorem indignissime violarunt. At illud etiam multo magis stupendum & inauditum, frivolæ ipsos accusationis nomini vel rumori potius eamdem vim tribuisse, quæ legitimæ damnationis

esse

esse solet, futilesque & adumbratos instituendæ accusationis conatus sexto quoque mense repetitos, ex quibus nullus nec secutus est effectus nec sequi poterat, placandæ hominum offensioni idoneos existimasse. Quid illorum odio impotentius esse potest, qui sic Ecclesiæ leges, sic omnium hominum judicia ludificari non verentur?

Ex his, quæ hactenus à me exposita sunt, satis, credo, vobis perspectum est, quantum in bonorum Ecclesiæ meæ sacrilega occupatione communis res Ecclesiæ vertatur. Sed quamvis nusquam apertior sit apud homines inimicorum meorum injuria, est tamen ubi apud Deum gravior fortasse sit atque nocentior. Nam ut jurisdictio spiritualis omnibus terrenis facultatibus longe præstat, sic dum me illa, uti jam probabimus, quantum possunt, dispoliant, & graviorem mihi & perniciosiorem Ecclesiæ injuriam inferunt. Atque in hoc quidem plus aliquantum pudoris præ se ferunt. Nam cum de bonorum meorum direptione ultro glorientur, contra ereptum mihi Episcopalis auctoritatis usum, quibuscumque possunt modis, dissimulant. Nullum mihi querelæ locum hac in parte reliquum, ac me in eam plenissime restitutum esse contendunt. Sed ut liquido perspiciatur restitutionem illam in spiritualia munera, quam ostentant, meram larvam & umbram esse, inspicienda modo vera Episcopi officia, & cum eo, quò nunc redacta est Ecclesia Parisiensis, statu comparanda.

Certum ac constans est omnium Patrum Decretum, quodque in dubium nequeat sine errore revocari, non in hoc modo positam Episcoporum potestatem, ut propria Episcopis sacramenta ministrent, confirmationem scilicet neophytorum & ministrorum Ecclesiæ ordinationem; sed gubernationem Ecclesiæ, supremam sacramentorum administrationem, divini verbi prædicationem ad ipsos tanquam superiores ministros propriè pertinere, ad Presbyteros autem tanquam ad inferiores ministros, qui in omnibus debeant ab Episcopi nutu pendere. Docet enim Scriptura Apostolis sub Petro Apostolici Collegii capite Ecclesiæ rectionem esse à Christo commissam, Apostolis ab ipso dictum, *sicut misit me Pater, sic ego mitto vos*, Apostolisque baptizandi, consecrandæ Eucharistiæ, dimittendi ac retinendi peccata, cœli aperiendi claudendique potestatem esse concessam. At ex perpetuo Traditionis consensu constat Episcopos Apostolorum successores, adeoque quicquid Apostolis à Deo potestatis collatum est, ad Episcopos hereditario jure transmissum. *Unitatem*, inquit Cyprianus, Epist. 42, *à Domino & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus. Potestas peccatorum remittendorum*, inquit Firmilianus, *Apostolis data est & Episcopis, qui eis ordinatione vicaria succedunt.* Eadem Conciliorum vox est; atque ut Gallicanis modo contenti simus, Aquisgranense anni 816, eximium hunc ex Isidoro locum affert. *Apostolis decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum. Episcopis*, inquit Parisiense VI, anni 829. in præf. *in Evangelio à Domino tanta confertur potestas, ut quæ statuerint in terra, statuta sint & in cœlo, & quæ solverint in terra, soluta sint & in cœlis, & quorum remiserint peccata, remittantur eis. Hos quippe constat esse Vicarios Apostolorum, & lumina mundi.* Idem cap. 4. *Constat*, inquit, *religionem Christianam per successores Apostolorum salubriter administrari, populisque ad vitam æternam ducatum exhiberi debere.* Carisiacum vero anni 858. *Pro patribus tuis*, ait, *nati sunt tibi filii, id est, pro Apostolis creavi tibi Episcopos, qui te regant & doceant.* Idem docent summi Pontifices innumeris locis, adeo ut Leo IV, homilia de cura pastorali, quam, ut præ se fert titulus, per Episcopos omnibus sacerdotibus intimari voluit, ita loquentem ad Presbyteros Episcopum inducat. *Fratres Presbyteri & Sacerdotes Domini, coopera-*

cooperatores mihi estis ordinis. Nos quidem quamvis indigni locum Aaron tenemus, vos autem Eleazari & Ithamar: Nos vice duodecim Apostolorum fungimur, vos ad formam septuaginta discipulorum estis. Et Nicolaus I, ad Episcopos Galliæ epist. 42. *Subiturus*, inquit, *Christus ad cælos Ecclesiam Apostolis commendavit, ac per eos tamquam hereditario jure successoribus eorum, nobis scilicet, quos Pastores & Episcopos ac Pontifices super ipsam constituit, ejus Providentiæ curam indulsit.* Denique postremum Concilium OEcumenicum, sess. 23. c. 4, antiquam hanc Traditionem adversus Hierarchiæ hostes hæreticos novo Decreto sancivit. *Sacrosancta*, inquit, *Synodus declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus, Episcopos qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, à Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.* Hac etiam de causa docent Romani Pontifices, ut ipsi in totam Ecclesiam, sic quemque in singulas Episcopum Christi Vicarium esse. *Sicut est*, inquit Hormisdas, *caput Ecclesiæ Christus, Christi autem Vicarij sacerdotes*, id est Episcopi, *sic & in eligendis his curam oportet esse præcipuam.* Et Concilium ad Theodonis villam ad Carolum Calvum. *A nobis*, inquit, *quamquam indignis, Christi tamen Vicarijs quærere & benigna devotione velut revera ex ore ipsius Dei expectare dignamini.* Et Carisiacum ad Regem Germaniæ, *Rectores & pastores Ecclesiarum, ut patres & Christi Vicarios colite, sicut Sancta Scriptura præcipit.* Denique Petrus Blesensis etiam tunc viventem Thomam Cantuariensem Episcopum *amicum sponsi* appellat, *Vicarium Christi, Christum Domini.*

Ex his luculenter demonstratur, divina lege & Christi institutione à suo quamque Episcopo Ecclesiam regi debere, tamquam ab eo, quem in sui vicem Christus in illa constituit, & qui eumdem locum teneat, quem olim Apostoli tenuerunt, quorum gubernationem Ecclesiæ necessariam, &, ut ita loquar, essentialem fuisse negari non possit. Eam ob rem Ecclesia Episcopo destituta proprie Ecclesia non est. Ut enim præclare Cyprianus, *Illi sunt Ecclesia plebs sacerdoti adunata, & Pastori suo Grex adhærens, unde scire debes Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo; Et si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse.* Nec ignotum vobis est, credo, Illustrissimi Collegæ, quo pacto oppositum huic doctrinæ errorem annis ab hinc fere triginta Ecclesia Gallicana proscripserit. Nam cum Angli quidam è Catholicis Scriptores adversus Episcopalis regiminis in singulis Ecclesiis necessitatem nonnullas propositiones in vulgus emisissent, illico Episcopi Galliæ & Theologica Facultas in nova hæc dogmata insurrexere, nominatimque hanc propositionem confixere. *Da ergo mihi multitudinem Christianorum quantumcumque magnam, quæ non indiget Episcopo ad ordinandos sacerdotes, & audacter dicam, quod non sit opus, ut gubernator illius societatis sit Episcopus*; quam Facultas Theologica Parisiensis his notis affecit, *Ista propositio est falsa, temeraria, scandalosa, ordinis Hierarchici destructiva, & verbo Dei contraria.* Frustra autem quis opponat, uti ab illis damnatis scriptoribus opponebatur, nonnumquam Ecclesias à Presbyteris regi, ut cum sedes Episcopo mortuo vacat. Nam cum id alicubi mortalium rerum necessitate contingit, jam non illa in eo statu Ecclesia est, in quo à Deo constituta, sed in statu quodam violento, unde fit ut tunc vidua, destituta, orba, sine sponso, sine patre, sine Pastore dicatur: Atque ut quicquid ex propria naturæ suæ sede dimotum est, ad naturam regredi ac recurrere omni ope tendit atque festinat, sic Ecclesia Episcopo viduata, votis, suspiriis, conatibus Episcopum debet arcessere, adeoque nec illa nisi animo schismatico volens in eo statu permanere potest, nec seculari vi regiminis Episcopalis

constitutio prohiberi sine certissimo schismatis crimine & nefaria divinæ legis violatione. Eapropter quidam olim Reges à Pontificibus Romanis anathemate perculsi, quod satis longo temporis spatio quasdam Ecclesias Episcopis vacare sivissent: quod de Eduardo Angliæ Rege narrat Guillielmus Malmesburiensis. *Anno quo à nativitate Domini transacti sunt anni 904. misit Papa Formosus in Angliam epistolas, quibus dabat excommunicationem & maledictionem Regi Eduardo, & omnibus subjectis ejus pro benedictione quam dederat B. Gregor. genti Anglorum à Sede S. Petri. Nam per septem annos plenos destituta fuerat Episcopis omnis regio Gevissorum.* Nec illa excommunicatione solutus est Eduardus, antequam ab Archiepiscopo Cantuariensi septem Episcopos septem istius provinciæ Ecclesiis consecrari curasset. At illud minime existimari par est, regimen illud Episcopale sic Ecclesiæ necessarium, & sine quo eo, in quo à Christo institutae est, statu esse non potest, in eo demum positum esse, ut sit qui nomen & titulum Episcopi gerens, nec ullas hujus muneris partes obiens vices suas quibusdam Presbyteris committat, atque ita nihil proprie per se in Ecclesia tractet & faciat. Solida res est, Collegæ Clarissimi, Episcopi gubernatio, non vani honoris titulus; vigilantia quædam est, cura, sollicitudo, qua Episcopus, quicquid in Diœcesi sua geritur, lustrat, circumspicit. Caput ille est Ecclesiæ, ideoque motum corpori debet ductumque præstare. Ejus est singula membra ad suum quodque munus impellere, ejus videre & attendere, an suo quodque fungatur officio, & quamvis regendis omnibus Fidelibus satis esse non possit, tamen inferiores pastores nonnisi ejus cooperatores & instrumenta esse debent, & ejusmodi instrumenta quæ semper ipsi conjuncta sint, quæ ab ipso regantur, ipsiusque lumine dirigantur, ita ut, quod recte ab Isidoro dictum est, *dum præsit quisque in singulis, hic tamen sit præordinator in cunctis.* Hoc nimirum tot Concilia spectarunt, cum vetant ne quid sine consensu Episcopi à Presbyteris fiat, ut nominatim habetur in antiquissima Canonum collectione, quæ nomen Apostolorum præfert, Can. 40. *Presbyteri & Diaconi præter Episcopum nihil agere pertentent.* Cujus Decreti hæc ratio subditur. *Nam Domini populus ipsi commissus est, & pro animabus eorum hic redditurus est rationem.* Et Laodiceni Concilij Canon 57 *Presbyteros nihil agere decernit sine consensu Episcopi.* Verum quis sit de hoc capite germanus Ecclesiæ sensus non aliunde melius cerni potest, quam ex non dubiis Martyris Ignatii epistolis, qui ab Apostolis ipsis in Sede Antiochena collocatus certus illius Disciplinæ testis est, quam à Christo acceptam Apostoli in Ecclesia constituerant. *Omnes*, inquit in epistola ad Smyrnenses, *Episcopum sequimini, ut Patrem Jesus Christus, Presbyterium vero ut Apostolos; Diaconos revereamini ut mandatum Dei. Nemo sine Episcopo aliquid eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent, faciat. Ea demum firma Eucharistia existimetur, quæ aut fit ab Episcopo, aut sub eo, cui ille permiserit. Ubi apparet Episcopus, illic multitudo sit, sicut ubicumque Christus, ibi Ecclesia Catholica est. Sine Episcopo non licet baptizare, aut Agapen facere; sed quod ille approbaverit, id demum Deo acceptum est, ita ut tutum & firmum sit quicquid agitur. Rectum est ut Deus & Episcopus cognoscatur; qui Episcopum honorat, Deo honoratus est; qui inconsulto Episcopo quicquam facit, Diabolo servit.* Et in epistola ad Ephesios, *Decet vos*, inquit, *concurrere sententiæ Episcopi, quod & facitis. Presbyterium enim vestrum honorabile sic Episcopo harmonice concinnatum est, ut chordæ cytharæ.* Ut ex sanctissimi Martyris mente spiritualis Ecclesiæ harmonia non minus ex Presbyterorum cum Episcopo consensione pendeat, quam lyræ concentus ex chordarum cum cythara conjunctione. Nec solum Episcopo generale quoddam regimen Ecclesiæ præstandum est,

quo

quo inferiores pastores regat, impellat, animet, ad opus admoveat, sed singulis etiam singularem, quantum fieri potest, ductum & rectionem debet, omnibus illum in commune expositum esse convenit, quia nemini non jus est, ut ad illum adeat, & ab ipso, quo deficitur, lumen exquirat. Unde ab Augustino animadversum pervias semper Ambrosii ædes fuisse, ut cuique semper in cubiculum ejus ingredi fas esset. Ejus est etiam pro populo sacrificium offerre; ejus verbi divini pabula, quantum vires patiuntur, dispensare; ejus tum ministros sibi instituere, tum illos probare, quos sub auctoritate sua variis muneribus addicit: Auxilium ipse viduis, orbis, pauperibus, calamitosis, postremo religiosis virginibus præcipuam quamdam vigilantiam debet, quæ inter Episcopales curas gravem semper locum obtinuit.

Hæc est, ut vel ipsi optime nostis, Illustrissimi Collegæ, illorum officiorum pars aliqua, quæ ex Ecclesiæ mente munus Episcopale complectitur. Ob hæc præstanda Episcopus Ecclesiæ necessarius; non ut Episcopi modo nomen inane retineat, reliquasque curas Vicariis mandet. Quod si hæc Ecclesiis officia ab Episcopis non præstentur, & sint quæ à solis demum regantur Presbyteris, violari divinam legem necesse est, sive ab Episcopo, si quidem id ejus negligentia contingat, sive ab ijs, à quibus quæ debet Ecclesiæ suæ reddere prohibetur, si vi quadam externa fiat ut eam per se regere non possit.

Væ mihi ergo, Illustrissimi Collegæ (mihi hoc ipse denuntio) si cum munus meum obire valuero, illud totum Vicariis meis remittam, idque demum in Ecclesiæ meæ gubernatione mihi sumam, ut ipsius meo nomine regendæ aliis potestatem conferam! Væ mihi, si non Evangelizavero, nec alia ratione commissi mihi populi saluti invigilavero! Id si fecerim, Sedem meam si minus apud homines, certe apud Deum vacuam fore profiteor. Nec verum Ecclesiæ meæ caput, sed capitis speciem; nec pastorem, sed inane pastoris simulacrum affore concedo, in quem illud Prophetæ vere dici possit, *O Pastor & idolum*! Fateor illam extra institutam à Christo gubernationis formam futuram; fateor populum Episcopali rectione vere cariturum, omnibusque illis spiritalibus commodis privatum iri, quæ Deus ipsi constituto Episcoporum ordine, quos divina unctio sacerdotii plenitudine replet, conferre voluit. At si eo quidem statu sit Ecclesia Parisiensis, sed externa violentia, non mea voluntate, væ illis qui institutum à Christo ordinem pervertunt, qui novam gubernationis formam invehunt constituto à Christo regimini adversa fronte pugnantem! Væ illis, qui Ecclesiam meam in quoddam vertunt Ecclesiæ monstrum, quæ nullum ab eo motum accipiat, quem Deus capitis loco ipsi præposuit! Ad hunc autem monstrosum ac funestum statum reipsa Ecclesiam meam esse redactam utinam minus apertum esset! Habet illa Vicarios, à quibus meo nomine regitur: At Episcopali gubernatione non minus deficitur, quam si nullum prorsus haberet Episcopum. Primum, quanta, & quam manifesta est divinæ legis infractio, Sede me jam septennium expulsum manere, ac nihil per me muneris mei obire posse fictitiæ litis specie, quæ ne aliquando finem accipiat, inchoatur numquam? Quam multa sunt enim quæ præsente Episcopo indigent, nec ab aliis nisi incommode & admodum imperfecte suppleri possunt? Nonne hac potissimum ratione tenentur Episcopi in Ecclesiis suis præsentes adesse? Adeoque, qui eos officio suo fungi vetant, idem scelus suscipiunt, quod ab Episcopo susciperetur, qui volens Diœcesim suam desereret. Cariores Christo sunt, quas proprio sanguine redemit, animæ, quam ut non earum rationem à quocumque reposcat, cujus vitio perierint. Igitur si Pastor, cujus curæ commissæ sunt,

ab his sponte & sine justa ratione discedat, quicquid ovibus mali contigerit, in caput pastoris refundetur. Sin autem ab eis abstrahatur invitus, eadem illis à summo Pastore tribuentur, qui eum à gregibus avulserint. Frustra autem huic nefariæ violentiæ virulenta calumniæ commenta prætendant, ac me, si præsens adessem, parum Ecclesiæ profuturum, aliaque potius, quam quæ muneri meo propria sunt, curaturum dictitent. Ipsæ enim illæ suspiciones temerariæ ac sceleratæ sunt. Quis illos conscientiæ meæ, quis consiliorum arbitros constituit? aut cui non possum illud Apostoli reponere, *Tu quis es qui judicas alienum servum! suo Domino stat aut cadit*. Sed qualiscumque tandem sim apud Deum, & qualemcumque me apud homines inimicorum malevolentia fingat, ut mihi illi Archiepiscopi titulum eripere non possunt, ita nec efficere, ut non mihi amplissimæ Urbis, totiúsque Diœcesis cura commissa sit; adeoque si per illos stet, quominus debitis gregi meo defungar officiis, non illas modo Disciplinæ labes Deus iis ascribet, quibus ipse occurrissem, sed generatim omnes quibus occurrere debuissem, nec quicquid modo in Ecclesiam meam boni à me profectum esset, sed omnino quicquid proficisci potuisset, omissum & impeditum imputabit.

Hæc, Illustrissimi Collegæ, satis ostendunt, me in spiritualia munia nequaquam restitutum, cum tot sint quæ ex Christi institutione non nisi ab Episcopo præsente obiri possint. Sed nec in illa restitutus sum, quibus implendis legitimis de causis absens Episcopus satis esset. Non enim exilio meo inimici contenti sunt, sed varia Regis nomine Edicta publicari curarunt, quibus, omnibus Regis subditis *cujuscumque dignitatis, gradus, professionis ac conditionis sint* (verba refero Edicti Parisiis promulgati 28 Martii 1656) *vetatur, ne mecum directe vel indirecte seu scripto, seu quacumque alia via ullum commercium aut communicationem habeant, nec ulla ad me Mandata vel ipsi perferant, vel per quamcumque aliam rationem aut internuncium perferri curent, nec ulla à me vicissim accipiant, vel à me missis & à me vel meis mandata ferentibus quicquam auxilii præbeant, idque intentata tum capitis fortunarumque pœna, tum,* ut in alio habetur Edicto, 2 Julii ejusdem anni dato, *depulsionis ex quibuscumque muniis, dignitatibus, sacerdotiis, non in præsens modo, sed in posterum. Ij enim, qui ejusmodi quid commiserint, incapaces denunciantur, qui quicquam in toto Regno possideant.* Nec vero hæc intra minas & verba steterunt. Sensit Ecclesia tristia illarum comminationum effecta. Vidit epistolam Archiepiscopi Romæ scriptam, Romæ typis excusam, & ad Episcopos Galliæ ea de re missam, qua nulla magis Ecclesiæ & Archiepiscopatus jura contingeret, immani tamen & furiali impietate Carnificis manu ignibus tradi. Vidit religiosissimos Parochos Parisienses in exilium actos, eosdemque etiam nunc exules videt, quod delatam ad illorum Conventum à me epistolam legendam censuissent. Addita Gallicani Convenus foribus custodia, ne quis ad eos aliquas à me litteras ferret. Imo cum cuidam Abbati tantum animi fuisset, ut unam à me epistolam Conventui redderet, nec tunc comprehendi potuisset, post tamen inhumana ultione insidiis idem captus & in carcerem conjectus est.

Itaque universa Ecclesia Parisiensis hanc veritа sævitiam nullo jam mecum commercio jungitur. Exercent auctoritate mea munus suum Vicarii, sed ex nutu meo contra Canonum scita minime pendent, nec lumen à me, nec motum, nec ductum accipiunt. Sic instrumenta mea sunt, ut eos impellere & ad opus admovere non possim. Denique sic ab illis Ecclesia Parisiensis regitur, ut illæ quæ Episcopo vacant, à Presbyteris interim administrantur, quæ tum nihilominus Episcopali rectione verè destitutæ, & extra constitutum

tutum à Chriſto ordinem poſitæ ſunt. Quamobrem, Illuſtriſſimi Collegæ, fidenter illud & libere dicam, ſi ſua ſponte ac voluntate in eum ſe ſtatum Eccleſia Pariſienſis demiſiſſet, in quo ſine veri Paſtoris nutu à duobus tantum Presbyteris regeretur, non ipſa tum Eccleſia foret, ſed illegitimus cœtus, nec habendi ſacerdotes, qui hoc munus in illa exercerent, ſi cum Eccleſia loqui volumus in Concilio Regiaticino anno 850. *Nulla*, inquit, *ratione Clerici aut Sacerdotes habendi, qui ſub nullius Epiſcopi diſciplina aut providentia gubernantur. Tales enim acephalos, id eſt, ſine capite, priſca Eccleſiæ conſuetudo nuncupavit*. Nec gregis nomen populus ille mereretur, ſed errantium ovium ac diſperſarum, ut eſt à Nicolao I dictum in reſponſione ad Bulgaros. *Sine Epiſcopis, tamquam ſine capite fore videmini, & tamquam oves errantes & non habentes paſtorem inceditis*. At quod Presbyteros, quod populum apud Deum reddit inſontem, hoc illos vehementius premit, qui caput à membris, paſtorem à grege divellunt. Atque ut hoc certiſſimum foret in Eccleſia mea ſchiſma, ſi ſe ipſa à me disjungeret, & mecum ſpiritali communicatione conjungi refugeret, ſic non dubie ſchiſmatici ſunt, qui illam à me diſſociant, & illi ſpiritalis mecum communicationis officiis interdicunt, paſtores inter & oves immota & divina lege neceſſariis. Ergo hi demum deteſtando ſchiſmatis crimine illigantur, qui vel illius ſeparationis auctores ſunt, vel eam fovent, vel in ea ſponte permanent. Liquido tamen conſtat diviniſſimis me & maxime ſpiritalibus Characteris mei muniis ſpoliatum, & Eccleſiam meam in ſtatu violento, illegitimo, divino ordini & Chriſti inſtitutioni prorſus adverſo conſtitutam, innumeriſque propterea divinæ gratiæ donis orbatam. Non ignoro carnalium animorum aliud eſſe judicium. Nam ut iis demum illi moventur, quæ in ſenſus incurrunt, dum Eccleſias apertas, cæteraque pro more fluere perſpiciunt, nihil interius immutatum in Eccleſia putant, nec Epiſcopalis rectionis amiſſione ullum afferri detrimentum. Sed ijs longe diverſus eſt ſenſus, qui res iſtas fidei lumine metiuntur. Nam ut divinæ gratiæ munera illi ordini, quem Deus in Eccleſia conſtituit, ab ipſo alligari ſolere cognoſcunt, gravi formidine quatiuntur, ſtatim ac ſe licet invitos, extra divinum illum ordinem ſentiunt. Subit illos metus, ne hunc ſtatum occultis flagitiis commeruerint, nec tantam precibus ſuis ad cæleſte præſidium impetrandum vim fore confidunt, dum eas fundunt à Paſtore ſejuncti, quam ſi cum illo ſociati ad Dei iram placandam & devocandum auxilium vota ſua communiter offerrent. Unde Nicolaus Papa conſulentibus Bulgaris, an liceret tempore ſiccitatis ad pluviam impetrandam jejunium & orationem facere, ita reſpondit. *Vobis quidem hoc agere licet; ſed congruentius eſt, ſi hæc per Epiſcoporum diſpoſitionem fiant. Ipſi namque ſunt, qui ligandi ſolvendique poteſtatem accipiunt: ad horum vocem populi Dei caſtra moventur & requieſcunt*. Mox generalem hanc rationem ſubnectit: *Siquidem in talibus priſco tempore, quod nunc quoque Sancta tenet Eccleſia, ſacerdotum præcedebat inſtitutio & omnis penitus ordinatio, & tunc reliquæ plebis ſubſequebatur aſſenſus; ac per hoc ordine debito cuſtodito & unanimitate ſervata Deo largiente voti præſtabatur effectus*.

Non aliam vobis, Illuſtriſſimi Collegæ, ſpiritualium functionum ſpoliationem expoſui, quam quæ ex eo conſequitur, quod per vim Sede expulſus, quod ab omni populi mei communicatione regiis interdictis ſejunctus ſum. Nec hic pluribus perſequi libet, quam affectato ſtudio regium Concilium meam Dignitatem agnoſcere refugiat, dum Vicarios meos non Archiepiſcopi, ſed Archiepiſcopatus Vicarios publicis in tabulis appellat. Non juvat exponere, quam variis aſſidue auſis auctoritas mea labefactetur. Non dicam quanto ſacrilegio intrudantur in Eccleſiam meam Canonici, quos

Regalis juris ementita species tam manifeste injusta ab ijs Ecclesiæ Censuris & Christi anathematis numquam defendet, quibus illi feriuntur, qui in caulas ovium ut latrones intrant, quia per legitimæ vocationis portam non intrant. Libet omittere novas quorumdam privilegia jactantium inceptiones, quæ concessæ mihi à Deo potestatis imminuendæ causa foventur & regia auctoritate firmantur. Non querar vexatos indignis modis Parochos, quod Christianæ morum doctrinæ sanctitatem pari constantia, zelo, eruditione propugnassent. Postremo, tacitus præteribo inauditum antea dominationis genus, quod recens in Ecclesiam Parisiensem potestas secularis invehit, ut ab ea Presbyteri regijs litteris expellantur propter capita quædam ad doctrinam & Ecclesiam mere pertinentia, & à politicis plane rationibus aliena, idque sine delatore, sine teste, sine probatione, sine judicio, ex temerarijs demum alicujus ex Aula mulierculæ sermonibus. Ego vero ab omni me partium studio ita semper liberum omnibus temporibus ostendi, ut hunc in me sensum ex solo justitiæ amore proficisci satis pateat. Itaque quicumque erroneæ alicujus doctrinæ & accusati legitimè & convicti fuerint, eos Canonicis pœnis affici volo. Sed tamen gravissimum hoc Ecclesiæ vulnus esse facile videbitis, rectæ ac perversæ fidei judicium sibi à Laïcis vindicari, quæ muneris Episcopalis vel præcipua pars est, illudque eo modo ab ijs exerceri, qui nullis in Episcopis ferendus esset, cum ex incertis rumoribus, ex malignis inimicorum voculis, sine ulla vel Canonici vel civilis judicij specie in quemquam animadverti nulla lege, nullo jure liceat.

At illud, Illustrissimi Collegæ, vobis ostendam necesse est, quid in tanta, qua me insequuntur, violentia inimicis meis propositum sit, seu cum me omnibus Ecclesiæ bonis exuunt, seu cum me pro viribus spirituali auctoritate dispoliant. Illa tot sermonibus jactata lis ludicrum quoddam illudendo populo simulacrum est. Satis illi compertum habent, nullum sibi verum crimen suppetere, cujus me reum apud quemvis judicem possint peragere, nec ignorant si constituti judices forent, plus forte accusatoribus quam reo timendum. Unus illis scopus est, patientiam meam fatigare, tandemque tot acerbitatibus pervincere, ut exitiosa toti Ecclesiæ ignavia Archiepiscopatum meum ipsorum potestati permittam, ac sic non minus de antiqua Ecclesiæ doctrina, quam de Ecclesiæ libertate triumphent. Quid autem intentatum ab illis relictum est, ut me ad pudendam illam & Episcopo indignam prævaricationem pertraherent? Quid non oblatum, quo allicerer? quid non ostentatum, quo lactarer? Quin illis ipsis temporibus, quibus ad me terrendum minæ gravissimæ, atrocissimæ calumniæ, perditissimi validissimique conatus adhibebantur, numquam mihi non aperti sunt exitus, si seculi judicia spectes, honoris & gloriæ plenissimi. Nec Romæ, nec Lutetiæ ignotum est, semper in me situm fuisse simul & divitijs ac potentia in mundo florentem esse, & inimicis testibus innocentem.

Sed vos, credo, Illustrissimi Collegæ, satis cernitis, quantum & quam præsens Ecclesiæ minetur exitium nova hæc abdicandorum Episcoporum via, quæ si semel usu invaluerit, non jam illi ut Ecclesiæ Principes spectandi, qui accepto à Christo ministerio & dignitate nulla possint humana potestate privari, nisi prius eorum rite criminum convicti fuerint, quibus depositionis pœna constituta est; sed tamquam Aulici quidam Eleemosynarij habendi sint, quos primarius Minister pro nutu amovet, & munere suo depellit. Quis enim non eodem modo ad abdicandum Episcopatum compelli possit? Quis non in carcerem compingi nulla in publicum edita causa? Quis non bonis fictitiæ & numquam inchoandæ litis specie spoliari? Quis non absurdis conscindi calumniis?

Ita prorsus Ecclesia regiorum Ministrorum jugo ac servitio mancipata nulla jam Episcopis potestas esset, ut quicquam pro Dei causa & Characteris sui dignitate liberè & animose dicerent facerentve, cum si tantillum animum dominantis Ministri offenderint, nullo negotio Sede sua depellerentur. Atque ut eorum, qui gratia apud Reges pollebunt, cupiditati & ambitioni magis etiam Sedes Parisiensis quam cæteræ semper objicietur, si satis in me foret ignaviæ, ut quod volunt à me, paterer extorqueri, non alij jam Ecclesiæ Episcopi sperandi essent, quam qui prorsus ex Aula penderent, ac nihil ad tuenda Ecclesiæ jura libertatis haberent. Sed satis, spero, roboris, Illustrissimi Collegæ, vestræ mihi orationes cælitus elicient, ut numquam à communis nostræ dignitatis defensione discedam; nec ea vis erit vel exilio meo, vel cæteris quas patior molestijs, ut à posteritate spectari me patiar tamquam infelicem tam perniciosi exempli principem. Non sinet, spero, Deus Optimus Maximus, ut præclaras illas Petri Blesensis voces obliviscar, quibus ille, dum unum Lexoviensem Episcopum alloquitur, omnes generatim Episcopos ad constantiam videtur erudijsse. *Si Principis*, inquit, *vestri indignationem, aut Capituli vestri vexationes, aut alias hujus vitæ molestias formidatis, & ideo pacem eligitis & quietem, hominem degeneris animi decet hæc facere, non vos quem constat præ cæteris cor magnificum & munificum habuisse. Sane in hac requie non invenietis requiem, & ecce in pace vestra amaritudo esset amarissima, dum recoleretis cum angustia spiritus gementes vos ibi defecisse, ubi fortius erat standum, abjectoque spiritu consilij & fortitudinis videretis vos à pusillanimitate & modica tempestate subversum. Ad resignationem Episcopatus nulla, si mihi creditis, vexatio vos inducet. Nam hæc omnia fortasse operatur Dominus, ut det vobis vexatio intellectum: trituratur granum, ut reponatur in horreo; quadratur lapis, ut sine sonitu mallei in templi ædificio collocetur; movetur turbo, ut Elias rapiatur in cælum.*

Quod si his verbis non satis confirmarer adversus longe acerbiores injurias, quam illæ erant, quæ hic à Petro Blesensi memorantur, solatium mihi roburque sufficeret clarissimi Martyris Thomæ Cantuariensis exemplum, quem ad abdicandum Episcopatum inimici adigere tentarunt ijs vexationibus, quarum jam nostræ diuturnitatem æquarunt, propositis etiam benignioribus in speciem conditionibus, quam illæ quæ mihi oblatæ sunt. Spondebat enim Rex Angliæ omnia illa, de quibus lis erat, privilegia Ecclesiæ se concessurum, modo in locum suum alium Thomas sufficí pateretur. Nec defuisse quosdam Episcopos testatur Joannes Sarisberiensis, qui præsenti demum utilitate ducti, nec impendentia inposterum mala satis animo præsentientes, Thomæ constantiam pertinaciæ accusarent. *Dicitur*, inquit ep. 226, *quod Vigornensis Episcopus imprudentius & impudentius versatus est in causa Archiepiscopi & consecratoris sui, conatus ex eo in præsentia Episcoporum & aliorum docere causam Domini Cantuariensis non niti de sinceritate justitiæ, nec Ecclesiæ quærere libertatem, sed dumtaxat quæ sua sunt; nec quæ Jesu Christi, quia cedere non vult ea conditione, ut Rex perpetuo concedat debitam Ecclesiæ libertatem.* Sed nihil istorum immotam sancti Martyris constantiam labefecit, quod perspectum habebat *quam hoc*, ut ait Sarisberiensis, *perniciosum esset exemplo, tum quia facile posset hæc Regis benignitas revocari, & Ecclesia in anteriorem, imo in deteriorem retrudi servitutem. Quis enim auderet*, inquit, *de cætero proclamare in libertatem, quis causam suscitare, in qua & pro qua meminisset tantum cecidisse Pontificem? Quamobrem prout à Cantuariensibus didici, Archiepiscopus huic consilio non acquiescet, neque aliqua promissione se deludi patietur, aut ut permutet Episcopatum, sicut aliqui moliuntur, aut desistat.*

desistat à persecutione juris sui, aut pacem faciat manentibus consuetudinibus, super quibus controversia est.

Nec dissimilis animi exemplum habemus in Anselmo ejus in Archiepiscopatu Cantuariensi decessore, qui nonnullis Ecclesiæ suæ bonis spoliatus, & ob id Anglia excedere compulsus, tametsi identidem in sedem suam revocaretur, constanter tamen redire recusavit, nisi illatis sibi injuriis prius satisfieret. *Quod non redeo*, inquit lib. 3. ep. 108, *in Angliam, scito quia non fugio mortem, non qualibet tormenta, sed peccatum & ignominiam Ecclesiæ Dei, & maxime Cantuariensis. Si enim ita rediero, ut apertum non sit, quia Rex me spoliare & res Ecclesiæ mihi commissas invadere, sicut fecit, non debuit, confirmabo pravam, imo servilem consuetudinem mihi & posteris meis meo exemplo, quod Deus avertat à me.*

Ni exemplorum copia vobis alioquin, quam mihi notiorum molestus esse veritus essem, Illustrissimi Collegæ, ex singulis aliqua seculis protulissem, ex quibus cerni possit quantum à coactis illis Episcopatus abdicationibus Ecclesiæ spiritus semper abhorruerit, nec ullum videtur tempus à divina Providentia prætermissum, in quo non hunc Traditionis sensum plurimis vestigiis impresserit. Ille vero sic semper fuit Ecclesiæ Gallicanæ persuasus, ut ex tot illius Episcopis, quos sub illis læsæ Majestatis nominibus Ministrorum gratiosiorum favor acerbe persecutus est, pauci admodum tam bonam causam per ignaviam prodiderint: Qui vero invictam in ejus defensione constantiam præstiterunt, semper ab Ecclesia Romana fideli Traditionis custode non laudem modo, sed etiam patrocinium meruerunt.

Hæc me, Illustrissimi Collegæ, Traditio, sincerus veri luminis fons & origo in hunc sensum adduxit, & plenissime persuasit, etsi nulla mihi calamitatis meæ esset speranda levatio, etsi inter exilii mei pericula & ærumnas obeunda mors foret, pulcherrime tamen vita me usum fore, qui illam Ecclesiæ utilitatibus & libertati consecrassem. *Infamis est enim redemptio*, ut olim ad omnes Episcopos præclare scripsit Hildebertus, *qua libertas perit Ecclesiæ, qua servitus comparatur. Prosit potius*, ut inquiebat ille, *Ecclesiæ mea mors, cui vivens, dum præfui, non profui. Pontificis est, si non vivere, mori saltem universis.* Sed quisquis demum istorum futurus sit exitus, ea mihi in Dei misericordia fiducia est, meum hoc in depellendo ab Ecclesia servitio studium ad delenda, quibus apud divinam justitiam obstrictum me teneri sentio, delicta aliquid profuturum. Nec me mediocriter consolantur illæ Petri Blesensis voces ep. 20. *Non potest esse præclarior famæ titulus in Prælato, quam si viriliter tueatur statum Ecclesiasticæ libertatis. Si quid perperam fecit, si quid vitam ejus aliquo tempore offuscavit, totum reformat & redimit zelus domus tuæ, Deus, & justitiæ amor.*

Ergo ad omnes casus paratus animo, certusque nihil aliud quam conscientiam meam sequi, ut illius præscripto fidem meam Christianissimo Regi quacumque ratione probare numquam defugiam, sic Ecclesiæ animi & zeli in persequendis tam diuturnis ejus injuriis certa jam signa & specimina debere me sentio. Crescunt illæ quidem in dies, nihil inimicis meis de crudelitate remittentibus: hoc tamen inde consequitur Ecclesia, quod apertior fit semper illorum violentia & injuria, atque adeo eo jam loci redacta, ut quos tandem sibi obtendere colores queat, ne suspicari quidem possim. Dum bellum viguit, belli occasione inita cum hostibus adversus Galliam consilia mihi ab inimicis objecta sunt: absurda & ridicula calumniandi materia, nec unquam nisi post partam à me libertatem vulgata, sed tamen necessaria. Non enim alio illi fundamento larvam illam litis, qua

qua rudibus tamdiu imponunt, superstruxere. Itaque fictitia illa cum Hispanis & Principe Condæo conjuratio unicum adhuc fuit simulacrum, sub cujus specie suam in me crudelitatem delitescere posse existimarunt. Si post meum è Nannetensi arce effugium tota in me Gallia concitanda, Regio Edicto, 20 Aug. 1654. palam jactatum est, *clandestina me consilia cum exteris, cum Principe Condæo, cum cæteris rebellibus miscere numquam destitisse*. Si calumnijs apud summum Pontificem lacerari me expedijt, litteris ad ipsum Regis nomine 12 Decembris die ejusdem anni scriptis objectum est, *Statim ac è carcere elapsus in Hispaniam advenissem, Principis Condæi in rebus Agentem, iterumque postremæ Burdigalensium rebellionis duces ad me apud Sancti Sebastiani urbem ex condicto convenisse, atque ibi sæpius actum, ut adversus Christianissimum Regem aliquid turbarum in Gallia Hispanorum opibus communiter moliremur*. Si Parisiensis Senatus compellendus, ut in me juberet inquiri, Actis ipsi publicis 21 Septembris die 1654 expositum est, *statim post meum in Hispaniam adventum inita à me adversus Galliam consilia cum Barone de Batteville uno ex hostilium copiarum ducibus, ac quodam de Mazeroles Principis Condæi negotia procurante*. Si schismaticum illud Edictum, quo fideles populi ullo communionis officio cum Episcopo suo jungi vetantur, aliquo fuit colore prætexendum, Regis nomen præferente Decreto palam traductus sum, quasi *qui me manifestis Galliæ hostibus addixissem, nec prius Ecclesiastica ditione cessissem, quam cum Hispaniæ in Italia Ministris de renovandis in Gallia turbis consultassem*. Si Cleri Gallicani Cœtus absterrendus, ne ad Collegæ sui oppressionem propulsandam querelas suas ad Regem perferret, id causæ quoque litteris ad ipsum Regis nomine scriptis 14 Septemb. 1656 allatum, *in Hispaniam eo fine transvectum, ut cum Hispaniæ legatis consilia captarem, ab Hispaniæ Rege pecuniam accepisse me, atque post meum Romam adventum cum ejusdem Regis Ministris sæpe sermones conseruisse*. Si æquissimum Conventus Consultum de præstandis mihi apud Regem officiis evertendum fuit, scriptæ item ad Conventum litteræ Regis nomine, in quibus certis sibi nuntijs compertum affirmat, *cum Regni hostibus novis me pactis esse conjunctum, qua ratione necessario adduci, ut de criminibus meis judicium institui curaret*. Denique si Capituli Parisiensis preces eludendæ fuerunt, legatis ab illo Canonicis responsum, *sub ementito nomine Bruxellæ me delitescere*: quod hoc temporis articulo dictum est, quo me in urbe omnium minime suspecta versari, certa, sed ipsis aliquando forte pudorem allatura, ratione noverant.

En quibus adhuc armis, Illustrissimi Collegæ, oppugnatus fui, manifestis scilicet calumniis, quarum toti Galliæ comperta falsitas; nec erat ijs, à quibus spargebantur, ignotum, neminem ita tardum ac stupidum fore, qui tam absurdis mendaciis fidem haberet. Verum hæc ipsis in populum quacumque ratione jactari satis erat, ut litis inde materiam eruerent. Sed quid fiet fictitia lite, cujus unius titulo in facultates meas, in personam tam acerbè sævitum, cum illa, quibus nititur, commentitia crimina non jam litis ullius materiam præbeant, sed certam restitutionis causam, ut jam videbimus, arctissimo omnium, juratæ scilicet pacis, sacramento sancitam? Est enim sancitæ nuper Galliam inter & Hispaniam pacis non postrema pactio atque conditio, *ut tum omnes utriusque Regni tam Ecclesiastici, quam seculares, tum omnes Principis Condæi clientes & amici in pacificam omnium bonorum & dignitatum possessionem restituantur*. Mea vero vitæ ratio & institutio, quantum ad debitam Regi fidem pertinet, ita semper integra & innocens fuit, ut mihi numquam opus futura sit ulla criminum amnestia. Nec alia mente hanc partem attingo, quam quia ex ea maxime demonstratur, perennem

nem illam inimicorum meorum acerbitatem, quæ, dum cæterorum crimina concessâ oblivione delentur, à me tamen vexando non desistit, ex innocentia potius mea, quam ex aliqua culpa proficisci. Si omnium, quorum per summam calumniam insimulor, criminum vere reus essem, si me adversus Galliam Hispaniæ partibus adjunxissem, quominus in bona, in honores, in dignitates restituerer, recusare non possent, quando his se legibus, tam sacris & solennibus pactis amborum Regum majestas obstrinxit. Dicam amplius, si constituti mihi judices essent, si perduellionis convictus ab illis & damnatus forem, hoc judicium expressa fœderis pactione rescinderetur. At quia nec convictus, nec damnatus sum, ac ne legitima quidem accusatione petitus, damnationis pœnam sustineo quæ numquam fuit, & quam, etiamsi legitimo juris ordine perfectam, irritam tamen & cassam esse oportuerat. Itaque cum hactenus me ut nocentem insequi videri voluerint, nunc insequi non possunt nisi ut innocentem: Fidei pœnas, non perfidiæ luo; exilio plector, quia exul esse non merui; nec ob aliud, quod omnibus, qui arma sumpserunt, ultro conceditur, mihi uni negatur, nisi quia Regi integram semper fidem & obedientiam præstiti.

Sed enim nova vobis, Illustrissimi Collegæ, crimina aperiam oportet, quorum me verius reum non diffitebor, quam eorum quæ mihi hactenus objecta sunt. Vidistis jam meam in retinendo Archiepiscopatu constantiam non mediocris apud illos criminis loco esse, nec ulli hoc ignotum est, quod ne in Vaticano quidem Aula Gallica obscure tulit, semper in me situm fuisse, ut abdicata Dignitate non plenum modo innocentiæ testimonium, sed amplissimam quoque mercedem consequerer. At alia sunt etiam longe antiquiora crimina quæ reticent, ob quæ tamen me Sede Parisiensi depulsum multo magis optant, quam ob illa nescio quæ, quæ prætexunt. Invisum enim in publicum norunt ob jura Ecclesiæ defensa Cardinalem & Archiepiscopum vexari, & ideo civilium turbarum ac tumultuum specie oculos perstringunt omnium Ecclesiasticæ Disciplinæ inimicorum exemplo, quibus suæ in persequendis Ecclesiæ defensoribus violentiæ hanc publici boni larvam obtendere moris fuit. At hanc non causam, sed prætextum in me sæviendi fuisse vel hinc manifestum esse potest, quod multo ante civiles discordias Aulam in me tam sæpe acerbam expertus eram. Ecquam enim anno 1645 belli civilis scintillam Gallia viderat, quo graviter in me Aula exarsit, quod Parisiensis Provinciæ nomine in locum suum restitui debere censuissem pulsos è superiori Conventu Episcopos? cujus Decreti æquitas inde perspici potest, quod quatuordecim Provinciæ, quæ post dixere sententiam, illi unanimi consensu subscripserunt. Ecquam belli civilis scintillam Gallia viderat, cum in me eadem Aula vehementer excanduit, quod in Ecclesia Parisiensi matrimonium Reginæ Poloniæ ab Episcopo Varmiensi celebrari noluissem? quod adeo à Patrui mei Archiepiscopi tum absentis dignitate alienum erat, ut magnus ille & eruditus Episcopus, ne sine consensu quidem meo, quod Aula ab ipso contendebat, implere voluerit. Ecquam belli civilis scintillam Gallia viderat, cum in me Aula quasi præcipitem & audacem invecta est, quod ex Gallicani Conventus mandato Episcopi Leonensis, præter Gallicanæ Ecclesiæ morem depositi, restitutionem molesta contentione deposcerem? Ecquam civilis belli scintillam Gallia viderat, cum me quasi factiosum Aula conscidit, quod pernicioso de fœnore Edicto, quo publicæ usuræ legis auctoritas adjungebatur, intercessissem? Ecquam tandem civilis belli scintillam Gallia viderat, cum sannis exagitatum est meum in defendendo Parocho Parisiensi studium, quem contra Diœceseos statuta ad Histrionem omnibus modis infamem

mem communione donandum adigere tendebant? Quid porro hoc in loco Sorbonæ sensus, cujus doctrinam ut Archiepiscopus tueri, ut alumnus ejus ac membrum venerari debeo, nisi mera somnia ac deliria habita sunt?

Cernitis profecto nec ex Parisiensibus motibus prima mea, ut falso jactatur, crimina repetenda, nec ex illâ fictitiâ cum Hispanis consensione postrema, cum in illis Episcopalis constantiæ decretis validius in dies me confirmem, quibus, ut supra ostendi, primas Aulæ in me simultates excivi. Sed simul quoque perspiciatis necesse est, etsi maxime vera essent quæ tam falso in me ab inimicis conferuntur, nihil jam tamen esse quo tam pertinax illud in me opprimendo odium defendant, quod in me eo ipso tempore acerbius exerunt, quo se adversus omnes omnem offensionem deposuisse profitentur. Dum mihi fictitium judicium intendunt, verum de illis judicium Orbis exercet; nec effugere possunt, si me tam crudeliter ac violenter vexare perrexerint, quin ipsos omnium conscientia horrendæ iniquitatis damnet.

Itane, Illustrissimi Collegæ, tantam æquitatis & justitiæ perversionem omnium æquissimus Regum non aliquando cognoscet? Itane non sibi in animum inducet, quam hoc à sua pietate alienum sit, ut adversus unam Ecclesiam bellum sub ejus nomine geratur, dum pacem ipse toti Europæ largitur; & proprium Archiepiscopum implacabili crudelitate vexari, dum cæteris omnibus ad Regiam gratiam reditus aperitur? Sentiet profecto maximus Princeps, nec magis regno quam virtutibus clarus, quis sit hac de re populorum suorum sensus, sentiet totam quidem ipsius clementiæ Galliam gratulari ob concessam cæteris omnibus veniam; at eamdem vehementer stupere, dolere, indignari, quod unus demum primariæ Urbis Archiepiscopus, quem Patris in terris loco spectare debuerat, hostium numero habeatur, ubi nulli sunt hostes; spolietur bonis, ubi in sua quique restituuntur; relinquatur in exilio, ubi nulli non ab exilio revocantur; nec debitam cuivis justitiam obtinere valeat, ubi omnes gratiam consequuntur. Moveretur certe tam justis vocibus justissimi Regis pietas, nec dubium est, quin vehementer aliquando eorum ille mollitiei succenseat, qui tam graves ad salutem monitus ipsi præ ignavia subtraxerunt. Sed mihi nulli legem imponere propositum est. Quid Regi & Ecclesiæ debeat, coram Deo quisque cum conscientia deliberet. Ego non alia à quoquam postulabo, quam quæ ab omnibus exigi, ac ne inimicis quidem negari possunt, spiritualia nimirum precum subsidia, quæ prima caritatis, quam nulli non debemus, officia sunt.

Hæc vos, Illustrissimi Collegæ, Ecclesiæ Parisiensi, precor, impendite, quam nunc quisquis spiritualia spiritualiter dijudicat, desertam habeat necesse est, afflictam, orbam, Capite, Patre, Pastore carentem, ordinis, in quo singulæ ex Christi institutione Ecclesiæ esse debent, expertem, omnibus privatam commodis, quæ gubernationi Episcopali Deus affixit, postremo eo statu positam, qui verum ac proprium Schisma foret, ni illum invita pateretur. Impendite Christianissimo Regi, & in Regiam illius mentem divinum illud lumen elicite, quo eorum fraudes artesque deprehendat, qui ejus nomine flagitiose abutuntur ad injurias, quæ non minus ipsius conscientiæ, quam Ecclesiæ noxiæ & perniciosæ sint. Impendite inimicis meis, ut sicut meus in illos animus omni ultionis cupiditate vacat, & semper vacabit, sic illorum in me malevolentiam odiumque Deus aliquando singulari gratiæ suæ beneficio restinguat, ut identidem illorum oculis objiciat alium ab isto mundum esse, aliam vitam, in qua totus ipsorum fortunæ fulgor somnij instar evanescet, & in qua apud illum judicem sistendi sunt, cujus in

ipsos

ipsos Reges imperium est, & cui non, item ut Regibus, imponi fraudibus & obrepi potest. Mihi denique, Illustrissimi Domini & Collegæ, per Episcopalis viscera caritatis, precor, impendite, ac mihi cælitus impetrate invictam in malis, quibus probari me Deus voluit, patientiam, immotam in tuenda Ecclesia ac Characteris mei dignitate constantiam, ac necessarium mihi in hujus progressu negotij lumen, ut simul ministri adversus Deum, subditi adversus Regem, Pastoris adversus Ecclesiam munus & officium impleam. *Die 24 Aprilis, 1660.*

J F P de Gondy Cardinalis de R
Archiepiscopus Parisiensis

1. Pax Pax polono-svecica Olivae d. 3 Maja 1660
2 Pax Germano-svecica Monasterii Westphalorum 24 Pax d. 1648.
3 Pannonia perorata etc p. Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652